DE EPHYMNIORUM APUD AESCHYLUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS A. 1897

SCRIPSIT

PAULUS SCHWARZ

SOLTQUELLENSIS.

HALIS SAXONUM,

FORMIS KAEMMERERANIS

MDCCCLXXXXVII.

E. h

PARENTIBUS CARISSIMIS.

Notum est in carminibus choricis poetarum scenicorum Graecorum saepissime fieri, ut eadem vel similia verba eisdem stropharum et antistropharum sedibus ponantur. Cur id fecerint poetae, dubium esse non potest: responsionem inter stropham antistrophamque intercedentem, quae exprimebatur eisdem modis, eodem metro, eisdem corporis motibus, quantum poterant aequalitate verborum augere studuerunt. Qui usus quanquam in plerisque canticis observatur, frequentissimus tamen esse solet in eis partibus, ubi versus a duabus personis vel ab una persona et choro invicem cantantur, i. e. in carminibus amoebaeis et in *κομμοῖς*. Ex Aeschylo exempli causa affero cantum Xerxis et chori, qui in fine Persarum fabulae est. Hic non modo similes vocabulorum formae inter se respondent (cf. 1007 ∽ 1013[1]) *ἰὴ ἰή, ἰὼ ἰώ* ∽ *νέαι νέαι δύαι δύαι*), sed etiam eaedem voces, sive doloris interiectiones tantummodo, ut *οἰοιοῖ* v. 957 et 970, *ὀτοτοτοτοῖ* v. 1044 et 1052, *οἴ* v. 1046 et 1054, sive iusta vocabula, ut *ἄνι ἄνια* v. 1056 et 1062, *ἄπριγδ' ἄπριγδα μάλα γοεδνά* 1058 et 1064, *βόα νυν ἀντίδουπά μοι*, v. 1041 et 1049[2]).

Ab hoc repetendi vocabula genere prorsus diversum est, quod tractaturi sumus, ephymniorum. Nam illius quidem usus Graecae poesis choricae proprius est vixque aliam vim

1) Numeri sunt Weckleiniani.

2) Eadem verba recurrunt v. 1067, in initio epodi. In eadem epodo bis, 1070 et 1074, idem versus *ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δύσβατος* est. Hic nec de augenda aequalitate formae nec de epiphthegmaticis versibus cogitandum erit, sed videtur poeta simpliciter consuetudinem amentantium, qui eadem saepius repetere solent, esse imitatus.

habet quam ut responsio augeatur. Neque intra stropham locus, quo adhibeatur, est circumscriptus: in initio atque in fine quanquam usus frequentior est, tamen etiam locis minus insignibus saepe invenitur. Neque quanta sit aequalitas praescriptum est: tum formae verborum solum similes sunt, tum singulae syllabae congruunt, tum tota vocabula, tum versuum partes, tum versus repetuntur.

At ephymnii unus locus est: non ponitur nisi in fine certarum carminis partium, sive maiorum sive minorum — quod ipsum nomen vult; est enim, ut Suidae (s. v.) verbis utar, *τὸ ἐπὶ τῷ ὕμνῳ ᾆσμα*, cantus qui ad hymnum accedit — ac semper tale est, ut sententiam integram, quae etiam a ceteris soluta possit intellegi, efficiat, sive continet exclamationem ex uno vel pluribus vocibus constantem sive integram enuntiationem. Adeo autem non modo in Graecis choricis cantibus invenitur, ut in carminibus omnium gentium eius rei exempla sint. Quae omnia causam trahunt ex origine ephymniorum, quae ipsa cum origine poesis choricae est conexa.

Quae autem fuerit prima propriaque vis ephymnii, bene ex loco Homerico (Il. 24, 719 sqq), qui simul primum eius in litteris Graecis testimonium est, cognoscimus. Ibi enim mortuum Hectorem Troiani ita lamentantur, ut deinceps Andromache, Hecuba, Helena threnos canant, quorum unumquemque ei qui adsunt excipere dicuntur,

v. 746 *ὣς ἔφατο κλαίουσ', ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες,*
v. 760 *ὣς ἔφατο κλαίουσα, γόον δ' ἀλίαστον ὄρινεν,*
v. 776 *ὣς ἔφατο κλαίουσ', ἐπὶ δ' ἔστενε δῆμος ἀπείρων.*

Quid ei, qui lamentationes excipiunt, pronuntient, utrum vocabula an interiectiones meras doloris, non dicit poeta; sed habemus, unde ephymnii mos ortus esse putandus sit: unum qui aliqua canit, et chorum qui cantui eius aliqua addit. Ex huiusmodi simplici forma versuum intercalarium, ubicunque inveniuntur, usum profectum esse mea quidem sententia constat, quanquam fieri potest ut, si quis nostris temporibus in carmine scribendo ea consuetudine utitur,

quid proprie ea velit, iam non cognoscat. Ephymnio semper sententiam per se integram subesse iam diximus; ex eius natura porro sequitur necesse esse exprimi eo magis minusve animi affectum statumque, in quo totum carmen versetur et cui explicationi sit, tum, ut illic, dolorem mortem lugentium, tum gaudium nuptias celebrantium vel messem facientium similiaque.

Priusquam ad Aeschyleum ephymniorum usum, quem tractare nobis est propositum, transeamus, pauca addenda sunt de voce *ἐφύμνιον*. Hephaestio capite XI. libri, qui *περὶ ποιήματος* inscribitur, haec habet: *ἔστι δέ τινα ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ τὰ καλούμενα ἐφύμνια, ἅπερ ταύτης τῆς προσηγορίας τετύχηκεν, ἐπειδὴ καὶ ἐφύμνιόν τι εἰώθασιν ἐπάγειν οἱ ποιηταὶ ταῖς στροφαῖς, οἷά ἐστι καὶ τὰ τοιαῦτα*

Ἰήϊε παιάν,

καὶ

Ὦ διθύραμβε.

Atque eis ephymniis, quae non post stropham, sed post versum ponuntur, proprium nomen mesymniorum tribuit, laudans Sapphus (Bergk 91)

ὕψοι δὴ τὸ μέλαθρον,
Ὑμήναον,
ἀέρρετε τέκτονες ἄνδρες,
Ὑμήναον.
γαμβρὸς ἐσέρχεται ἴσσος Ἄρευι.

Capite autem XIII. eiusdem libri quae sit inter *ἐφύμνιον* et *ἐπίφθεγμα* differentia exponit, ubi est: *ἔστι δέ τινα καὶ τὰ καλούμενα ἐπιφθεγματικά, ἃ διαφέρει ταύτῃ τῶν ἐφυμνίων, ὅτι τὰ μὲν ἐφύμνια ἐκ περιττοῦ, ὡς πρὸς τὸ λεγόμενον, τῇ στροφῇ πρόσκειται, τὰ δὲ ἐπιφθεγματικὰ καὶ πρὸς νοῦν συντελεῖ, οἷον τὸ Βακχυλίδου* (Bergk 25)

ἦ καλὸς Θεόκριτος, οὐ μόνος ἀνθρώπων ἐρᾷς,

καὶ πάλιν παρὰ τῷ αὐτῷ Βακχυλίδῃ (Bergk 26)

σὺ δ' ἐν χιτῶνι μούνῳ παρὰ τὴν φίλην γυναῖκα φεύγεις

Recte enim sic Westphal tradita verba mutavisse mihi quoque cum Christio (Metrik p. 650) videtur. Nam tradita

verba prorsus contrarium statuunt: ephymniis etiam sensui novi aliquid adici, epiphthegmatica strophae quasi supervacanea addi. Sed quae supra ex capite undecimo exscripsi, loci quos ipse Hephaestio affert Bacchylidei, denique quae insequentibus verbis explanat, si epiphthegmaticum satis magnum sit ut per se novam stropham efficere possit, gigni quod vocetur *σύστημα κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερές* (forma *α β α β*), demonstrant Westphali mutationem esse emendationem. Hephaestio igitur, et, quod vix dubitandum est, alii metrici scriptores ephymnia eos tantum versus intercalares appellaverunt, qui ad antiquissimum propriumque morem proxime accedebant simplicemque in modum breves exclamationes repetebant. Sed ephymnium apud antiquos etiam ampliorem significationem habere potuit atque complecti illud magis artificiosum genus quo integrae enuntiationes aliquid novum sensui addant, ut ephymnium nostro artis poeticae vocabulo „Refrain" plane respondeat. Quod scholiis poetarum scenicorum comprobatur, ubi non modo ad ephymnia Hephaestionis, sed non raro etiam ad ea, quae secundum eius definitionem sine dubio epiphthegmatica sunt, annotatum est *ἐφύμνιον*, velut ad Aesch. Sept. v. 962 et 977, atque ad Eum. 342. Cetera quae fuerunt eius rei nomina contulit v. Leutsch (Philol. XI, 1866, p. 726/7), sed multo sunt rariora[1]. Quare nos cum scholiasta ephymnium intellegimus omne versuum intercalarium genus in fine certarum carminis partium positorum.

Iam ut ad Aeschyli exempla aggrediar, praemitto, quod quamvis leviter introspicienti occurrere debet, solitum ephymnii morem, ut eadem verba per totum carmen certis intervallis repetantur, ab eis abesse. Eius enim usus talis est, ut eadem verba bis tantummodo, in fine respondentium inter se stropharum, ponat, quam tamen rationem in eodem carmine saepius complura stropharum paria sequuntur — uno excepto exemplo, quo stropha antistropha epodus in

1) Ut *ἐπιφωνήματα, ἐπιρρήματα, ἐπῳδοί, ἐπιβοήματα* cet.

idem ephymnium exeunt. Duae autem saepius recurrent quaestiones, prima quo modo carmina cum ephymniis coniuncta sint pronuntiata; de qua ad diiudicandum difficillima nonnisi ubi verisimile aliquid videbitur affirmari posse loquar; altera, num ubique in libris manuscriptis servata sint ephymnia.

Atque ut progrediamur a simpliciore forma ad artificiosiorem, illud simplicissimum genus, ut exclamatio chori ad cantum quem cecinerunt nonnulli vel unus accedat quasi supervacanea, apud Aeschylum non exstat, nisi interiectionem ἠέ in fine secundae strophae et antistrophae secundi Persarum fabulae stasimi positam ita accipimus, de qua re infra videbimus (p. 15). Sed locus, qui ab eo usu haud multum abest, est finis Eumenidum, inde a versu 1033. Postquam Furiae promissis sacris ac religione irasci quod Orestes ipsarum numini suffragio Areopagitarum calculoque Minervae esset detractus desierunt, iam eas dum scena exeunt comimites eo prosequuntur, ubi sedes earum cultus erit, canentes hoc carmen ephymniis quater interruptum:

Str. 1. *Βᾶτε δόμῳ, μεγάλαι φιλότιμοι*
Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες, ὑπ' εὔφρονι πομπᾷ
— *εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμί.*

Ant. 1. *γᾶς ὑπὸ κεύθεσιν ὠγυγίοις ὡς*
τιμαῖς καὶ θυσίαις περίσεπτα τύχητε [1]).
— *εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμί.*

Str. 2. *ἵλαοι δὲ καὶ εὐθύφρονες γᾷ*
δεῦρ' ἴτε, σεμναί, πυριδάπτῳ
λαμπάδι τερπόμεναι καθ' ὁδόν.
— *ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς.*

Ant. 2. *σπονδαὶ δ' ἐς τὸ πᾶν ἔνδαιδες οἴκων*
Παλλάδος ἀστοῖς. Ζεὺς [ὁ] *πανόπτας* [2])
οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα.
— *ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς.*

---

1) *ὠγυγίοις ὡς* et *περίσεπτα τύχητε* pro *ὠγυγίοισιν* et *περίσεπται τύχαιτε* Kirchhoff.

2) Sic pro *ἀστοῖσι Ζεὺς παντόπτας* Musgrave.

Harum stropharum et antistropharum priores partes non a choro qui per totam fabulam cecinit, Furiarum, sed ab altero choro, comitum, qui solius huius *ἀφοδικοῦ μέλους* causa inducitur (ut similiter in fine Supplicum chorus ancillarum) cantatas esse ex toto sententiarum conexu nec non ex adverbio *δεῦρο* 1042 apparet. Neque minus apertum est ab illis eos, qui ephymnia canunt, utique esse diversos. Nam nullo modo fieri potuit ut per eandem formam, secundam personam pluralis imperativi, ab eisdem personis perpetua vice et Furiae et Athenienses uno quasi spiritu appellarentur. Atheniensis enim populus ut laetitiam magna voce misceat ephymniis admonetur. Re vera autem versum 1036 cum 1040, ut 1044 cum 1048, plane congruere hodie vix quisquam negabit, quoniam cum Schwenkio Kirchhoff v. 1036 *πανδαμί* pro *χωρεῖτε*, quod est in codicibus, scripsit, verisimillimam corruptelae causam afferens hac annotatione „*χωρεῖτε* ex interpretamento textui illatum censeo“. Facile enim ad versus 1037/39 verbum desiderare potuit si quem fugerat eos cum 1033/35 arte coniungendos esse, quasi unum enuntiatum, exclamatione illa *εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμί* tantummodo interruptum[1]). Sed cuius sunt verba ephymniorum *εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμί* et *ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς*? Westphal (Prolegomena ad Aesch. p. 22/23) ea tribuit Furiis, Hartung Areopagitis, Kirchhoff praeconi, Wecklein olim (in editione fabularum 1885 et in commentariolo quod scripsit „Über die Technik und den Vortrag der Chorgesänge des Aeschylus,“ Jahrb. f. class. Philol., Suppl. XIII, 1884) Kirchhoffium secutus nunc (in editione Orestiae 1888, ad. v. 1032) totum carmen inclusis ephymniis comitibus dat, nisi quod praeterea in ephymniis voces omnium qui adsint (specie omnium, re vera choreutarum, Furiarum) accedere statuit. Quam posteriorem Weckleinii sententiam propterea improbo, quod, ut supra demonstravi, 1033 sqq. una continua oratio eiusdem vel eorundem esse non possunt; contra qui fieri

1) Bene est quod ita Hermanni coniectura liberamur *χωρεῖται* scribentis, quae ephymnii naturae eadem verba repetentis valde obest.

potuerit, ut continuatio sententiae intermisso ephymnio v. 1036 impediretur et ut imperativarum formarum relatio perpetuo esset mutanda non apparet nisi aliunde quasi ex improviso acclamationes succini putamus. Praconem si cum Kirchhoffio introducimus, sane exspectamus fore ut iussum eius perficiatur excipiaturque ὀλολυγμῷ populi (v. 1044 et 1048). Fortasse excidit, sed etiam causam quam profert Wecklein cur id non fiat (Jahrb. l. l. p. 224) sufficere existimo; dicit enim cum post verba ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς agmen exeat, speciem praeberi quasi pergat cantus posteaque exspectatae voces sint secuturae. Nam imperativum εὐφαμεῖτε tali clamore exceptum esse non necessarium est, siquidem verbum εὐφημεῖν non modo significat „laeta verba facere, laete sonare" (ut Ag. 28; 601; Pers. 392), sed etiam „male ominatis abstinere[1])." At praestare mihi videtur hic de praecone omnino non cogitari; nam et ad vim ephymnii accommodatius et ad praesentem statum rerum aptius est, si universus quasi populus subitis acclamationibus vocem comitum interrumpit, ut exprimat quanta religione quantaque laetitia pompam exeuntium Furiarum prosequatur. Cui rei non obest secunda imperativi persona; alii enim alios adhortantur, ut Suppl. 1029 ἴτε μὰν ἀστυάνακτας μάκαρας θεούς, et Choeph. 941 ἐπολολύξατ᾽ ὢ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγᾷ κακῶν; et, ut hic, ei qui cantant iussum eo quod pronuntiant praestant. Itaque statuere cogimur alios, qui neutrius chori sint, neque Furiarum neque comitum, hic voces suas cum comitum coniungere. Neque ullam sic difficultatem oriri existimo, cum exclamanda fuerint perpauca verba, quae etiam hominibus musicae artis minus peritis in docenda fabula vix maiorem laborem afferrent. Ita cantum vere popularem poeta videtur hic esse imitatus.

Alterum ephymnii exemplum, quod item haud multum a simplici illo genere (ἰὴ παιάν, vel ὦ διθύραμβε) distat, habemus in parodo Agamemnonis. Quae, ut notum est, ex

1) Quin etiam, cum id facillime fieret tacendo, εὐφημεῖν saepe ipsius tacendi vim occupat.

tribus maioribus partibus constat, quarum prima anapaestica systemata continet, tertia quinque stropharum paria, maxime trochaicae et iambicae formae; secunda autem e stropha, antistropha, epodo composita, praecipue dactylicum rhythmum servans vel eo ceteris antecellit, quod antistropha et epodus ultimum strophae versum repetunt. Narratur ea portentum illud, quod exercitui ad bellum proficiscenti acciderat; duas enim aquilas repente a dextera visas gravidam leporem exenteravisse, praenuntias delendae quidem Troiae, sed etiam contrahendae irae Dianae. Ephymnium est hoc:

αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ'εὖ νικάτω.

Cum narratione prodigii ipsa omnino non cohaeret, et ad stropham atque antistropham quasi alienium aliquid accedit; at fini epodi, post versus ad totam rem enarratam respicientes, tam firme adiunctum est, ut cum antecedente versu *τοῖς δ'ὁμόφωνον* unam efficiat enuntiationem. Nihilo minus etiam primo loco secundoque aptissime positum est: eis enim orationis intervallis tres partes, in quas aperte carmen dividendum est, dirimuntur: ipsum portentum (stropha), Calchantis interpretatio (antistropha), Calchantis precatio (epodus)[1]. Propriam autem ephymnii vim, quae postulat ut ei subsit animi status totius carminis summa effectus, hic optime servatam videmus. Ut enim prodigium partim laetum est (aquilae a dextera apparentes), partim triste (lepus praegnans exenterata), atque ideo Calchas vaticinatur excidium quidem Troiae, sed ante id res adversas ex ira Dianae consecuturas, atque precatur, ut vaticinii fausta eveniant, infausta arceantur, ita ephymnio simul pavor mali eventus spesque sive votum boni exprimuntur.

Iam si quaerimus qua chori distributione hoc carmen sit cantatum, constare videtur primum eiusdem (vel eorundem) esse stropham, antistropham, epodum; nam coepta Calchantis in antistropha oratio in epodo finitur neque distributis inter

---

1) Cum eis enim facio, qui v. 150 *αἰτεῖ* ut glossema (vel *παρεπιγραφήν*? Wecklein), = precatur, delent.

diversos antistropha et epodo divelli debet. Quod contra G. C. W. Schneiderum, qui stropham et antistropham ducibus hemichoriorum, epodum coryphaeo, contra Keckium, qui deinceps tribus ducibus trium ordinum, contra Metzgerum, qui tribus ordinibus dat, dicendum est. Deinde constare puto ephymnia, si ab aliis cantata sunt atque reliquae carminis partes, ab eis non ita cantata esse ut subito praecedentia interrumperent, id quod fortasse e stropha et antistropha aliquis concludat. Nam ultimus epodi versus artius cum ephymnio cohaeret quam ut aliis illum aliis hoc tribuere liceat. Quod si ita est, in codice ephymnium unoquoque carminis loco bis scribendum fuit, hac ratione ut primum cantores strophae, antistrophae, epodi praecinerent, tum qui cantum excipiebant repeterent — quod utrum factum sit plane eadem forma an aliquantum discrepante (ut hac, quam vult Keck: *αἴλινον αἴλινον αὖτε, τὸ δ᾽εὖ νικάτω*) nihil interest. Ergo aut omnia ab eisdem, choro scilicet, aut, ut modo vidimus, narratio facti cum ephymniis a partibus chori, iterata ephymnia a toto choro cantata sunt. Illud volunt Hanssen (Philol. 1884, p. 723) et Graf (De Graecorum veterum re musica quaestionum capita duo, Marb. 1889, p. 59), hoc inprimis Wecklein (Jahrb. 1884, suppl. XIII, p. 224), Arnoldt (Der Chor im Agamemnon des Aeschylus, Hal. 1881, p. 20), Muff (Jahrb. 1883, p. 21 sq.), qui chori exclamationi *αἴλινον* cet. unius coryphaei antecedere cantum, et Hense (edit. altera Schneidewiniana), qui partem aliquam chori, quae tamen quanta qualisque fuerit dici nequeat, ante eam cecinisse vult. Atque commemoratione digna videtur causa quam promit Graf: „In Agamemnone coryphaeum postquam 64 versus anapaesticos recitarit, continuo totum systema solum cantare necesse est statuat, qui cum Weckleinio facit. Atque omnino, qui verba premit, eo adducitur, ut chorum oscitantem plerumque et pedes manusque moventem, rarissime autem paucula canentem in tragoedias veterum inducat.“ Atque id quidem concedo, quod postea exponit, non necesse esse imperativo *εἰπέ* quidquam, quo

iussum perficeretur, respondisse, sed potuisse chorum ipsis verbis, quibus iuberet, iussa praestare. Sed causa ad refutandam Weckleinii sententiam ceterorumque allata mihi satis esse non videtur. Nam praeterquam quod solius coryphaei cantum respicit, cogitandum est etiam per alias partes fabularum, ut per dialogos quos habent actores inter se, aut actores cum coryphaeo, chorum „oscitari", pedes autem manusque num ibi moverit, id est saltaverit, minime exploratum esse. Sed omnino probabilitate carere puto eam sententiam primum propter formam totius parodi: ut primam eius partem a coryphaeo pronuntiatam certum, tertiam a toto choro cantatam verisimillimum est, ita valde aptum videtur statuere hanc mediam partem ab illis quam maxime diversam aliter atque illas esse pronuntiatam. Deinde autem, ubicunque inveniuntur ephymnia in carminibus choricis tam antiquis temporibus, quibus poemata etiamtunc conficiebantur magis ut declamarentur, canerentur, ederentur quam ut legerentur, atque quibus servandae cum antiquo more antiquae canendi rationis facultas erat, hanc retinebimus, quoad quis eam plane a loco abhorrere nobis demonstraverit; id quod vix hic timendum est. Equidem Weckleinio, Muffio, Arnoldtio assentiri hic non dubito. Eos enim qui succinant eundem semper chorum universum esse — non deinceps tres chori ordines, ut Hermann vult — ex analogia concludo cantatarum ab uno eodemque (vel unis eisdemque) strophae, antistrophae, epodi. Praestare autem ut credam statuere cantavisse has coryphaeum solum quam maiorem chori partem adducor eo quod nescimus, ex quibusnam (quot et qualibus) choreutis ea pars constare potuerit, nisi forte Hermanni nimis artificiosam distributionem probamus, qui trium chori ordinum eos, qui medium locum teneant, simul eas canere existimat. Contra et metrica forma (versus longiores maxime dactylici) et facti narratio aliquantum rationi epici carminis similes sunt, ut Homericum modum pronuntiandi epica carmina, quae illis antiquissimis temporibus ab uno cantore cantari solebant, hic introducere

haud alienum putem. Fortasse dixerit quis coryphaeo si post anapaestica systemata etiam haec parodi pars detur nimis tribui laboris. Sed cum Weckleinio (p. 232) non puto id satis esse ad refellendam sententdiam nostram; an multo minor est labor Jonis Aeschyleae, quae in Prometheo post quinquaginta circiter versus lyricos sine dubio cantatos (581 sqq.) inde a versu 640 usque ad 657 excipiens Prometheum decem, inde a v. 667 paene quinquaginta trimetros pronuntiat? an earum Euripidis personarum, quae post longos partium dialogicarum sermones solae longa carmina canunt? Nec maioris momenti id esse existimo quod contra ea quae explanavimus forsitan dicatur: insolitum esse ab uno stropham antistropham epodum cantari. Quod enim Wecklein conicit, fortasse hic poetam aliquam prisci popularis cantus consuetudinem esse imitatum, vel tale quid potuisse causam eius rei esse concedemus, praesertim cum admodum singularis sit tota carminis forma.

In carmine illo Persarum fabulae, quo mortui Darii umbra ex inferis elicitur (v. 636 sqq.), idem versus

βάσκε πάτερ ἄκακε Δαρειάν, οἶ.

in fine est tertiae strophae et tertiae antistrophae. Primum secundumque stropharum paria et epodus ephymniis videntur carere. Quod ita tertium par poeta distinxit, non est mirum; nam totius carminis summum quasi fastigium est: cum antea dei inferi ut Darium mitterent sint invocati, invocatur nunc valde concitatis vocibus ipse mortuus rex ut appareat; rursus autem epodus iam non in invocatione, sed in lamentatione — quantum ex corruptissimis verbis cognoscitur — versatur. Sed tamen respiciendum est eandem exclamationem *ἠέ* et post secundam stropham et post secundam antistropham positam esse, nec video cur non eam quoque iustum ephymnium esse ducamus. Nam quod in editione Persarum Schilleriana altera a Conradtio facta p. 148 explamatur, *ἠέ* propterea ephymnium esse non posse, quod post verum ephymnium v. 667 et 675 ultro *οἶ* legatur, quod quisnam alius exclamaverit dici nequeat, non probo. Ea enim verba ad

intellegendum difficiliora sine dubio hoc volunt: cum ἠέ et οἶ hic simillime videantur posita, eandem vim eis esse vindicandam. Quod non fieri, si ἠέ ephymnium esse putetur; nam sic ἠέ quidem verum ad proxime antecedentia ephymnium esse, οἶ autem esse non per se, ad proxime antecedentia ephymnium, sed ephymnii partem, cum non adsit multitudo quae ad cantum ephymnium *βάσκε πάτερ ἄκακε Δαρειάν* canentium ultro interiectionem οἶ succinere existimari possit. Sed huic argumento nimis sagaciter excogitato ullam necessitatem inesse nego. Immo poeta crescentem magis magisque impetum cantus hac forma expressit, ut primo loco versibus intercalaribus abstineret, secundo simplicissimi generis ephymnium, meram exclamationem (ἠέ), poneret, tertio integram enuntiationem exeuntem in interiectionem οἶ. — Usus autem ephymniorum in hoc carmine chorico mihi videtur eodem spectare quo spectant priscae epicae formae *βάσκε* et *ἔσκε* et *Ἀϊδωνεύς*: vetustatis cuiusdam colore severitatem augere poeta studuit, cui aptus in eiusmodi carmine magico locus est [1]). Atque cum certae formulae ad omnem artem magicam paene necessaria sint, quae ipsae si. certis intervallis sermoni vel cantationi magicam artem profitentis inseruntur, iam vix ab ephymniis differunt, hic ephymnium formulae magicae loco positum esse dicere licet; quod etiam scholiastes vult hac annotatione: *ὡς ἐπῳδῇ κέχρηται τῇ „βάσκε πάτερ“*; *ἐπῳδή* est enim incantatio, formula magica. Eadem magica ephymnii vis alii loco Aeschyli subest, Eumenidum illi cantico quo Furiae Orestis animum obstringere conantur (de quo accuratius

1) Simili de causa poetam hic de industria aliquantum cumulasse puto vocabula barbara: *βαλλήν* 660, *εὔμαριν* 664, *τιάρας* 665, et 654, 667, 675 in nominando Dario non vulgarem Graecam formam *Δαρεῖον* posuisse, sed aliam, apud Graecos inusitatam, quae tamen quomodo sit legenda dubium est; nam forma tradita *Δαρειάν* cum vix tum accusativus (654) tum vocativus (667, 675) esse possit, iure in dubitationem vocata est. Sed utique, ut puto, ei repudiandi sunt, qui et v. 654 *Δαρειάν* ut glossema delent et 667 et 675 vulgarem formam *Δαρεῖος* restituunt.

p. 25 sqq.), et fortasse etiam Supplicum ei loco, quem tractabimus p. 21 sq. [1]).

Valde mirum repetiti versus exemplum est in Choephororum cantico primo (22 sqq.). Versus enim in quem exit antistropha secunda

τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ

in fine tertiae quoque strophae traditus est. Sed cum ea hoc versu longior sit quam antistropha tertia, aliquo modo aequalitas est quaerenda. Quem ad finem viam a plurimis viris doctis prorsus diversam ingressi snnt Wellauer et G. C. W. Schneider (De versibus epiphthegmaticis Aeschyli, progr. gymn. Vim. 1829, p. 7/8). Nam cum ceteri eum versum ut falso repetitum post 68 eiciant, Wellauer excidisse post 73 versum ei respondentem putat, Schneider eundem post 73 repetit, ut ter idem versus positus sit, provocans ad ter positum in parodo Agamemnonis *αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.* Sed is locus comparari minime potest, cum illic ut ter positum sit ephymnium factum sit propter tres illius carminis partes, stropham, antistropham, epodum; cuiusmodi causa nostro loco deest. Neque verisimile est usum esse Aeschylum unquam ephymniis ita, ut non post stropham et antistropham eiusdem paris, sed post antistropham unius et stropham alterius paris ea poneret. Accedit quod uterque, et Wellauer et Schneider, sententiam verborum plane neglexit. Nam ille versus ut in antistropha secunda aptissimum locum tenet, cum videantur verbis quamvis corruptis comparari tria dei tempora, plena lux, crepusculum, media nox cum celeritate tarditateve appropinquantis poenae, ita post stropham tertiam, qua caedem inexpiabilem esse et parricidam, si poena moretur,

1) Simile magici, ut ita dicam, ephymnii exemplum praebet Theocritus idyllio altero, ubi versus

ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα

saepe recurrit, id quod Vergilius imitatus est ecl. 8,64 sqq. versu intercalari

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

tamen fatali morbo tumere exponitur, quid sibi velit iterata commemoratio noctis, aut ad quosnam τοὺς δέ referendum sit, non intellegitur, nec magis post antistropham tertiam, qua pergit poeta exponere nullum esse refugium parricidae nullaque aqua caedis maculam elui posse. Quare unum illud Porsoni remedium placet, quod recte omnes fere laudaverunt, delentis versum repetitum in stropha tertia. Quod eo probabilius est quod causa falsae repetitionis facile afferri potest. Congruunt enim inter se non modo verba versus 62 et eius qui in codice post 68 sequitur, τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ, sed etiam vocabulum quod utrumque antecedit idem est, nisi quod illic formam βρύει, hic βρύειν legimus. Quin autem solum in versu 68 iustum locum teneat βρύει(ν) non est dubitandum. Quae duplex corruptela videtur ita orta esse (secundum Wilamowitzium, ed. Choeph., 1896, p. 159), ut scriba verba τοὺς δ'ἄκραντος ἔχει νύξ suo loco omissa in margine iuxta versum 68 (βρύειν) scriberet, addita nota aliqua ex qua quo verba essent inserenda appareret, is autem qui in scribendo id praeceptum sequebatur illa quidem verba suo loco reponeret per errorem tamen numerum eorum vocabulo antecedenti (βρύειν) augens, sed post 68 non deleret.

Atque haec quidem certa exempla Aeschylea sunt ephymniorum e singulis versibus constantium 1). Transeamus ad ea quae ex pluribus sunt composita.

In threno, quem in Septem fabula de Eteocle ac Polynice mutua caede mortuis Antigona atque Ismena sorores alternis vicibus canunt (941 sqq.), trium partium (proodi, cantus antistrophici, epodi) media ephymnia exhibet. Nam et stropha et antistropha finitur his versibus

ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερά,
πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά,
μέλαιν' Ἐρινὺς ἦ μεγασθενής τις εἶ.

Quisnam eos cantavisset, disputaverunt homines docti, cum

1) De versu intercalari, qui est in Choephororum ultimo stasimo, πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν, infra tractabimus, p. 52 sqq.

cetera huius carminis ita cantata esse fere inter omnes constet, ut altera soror alteram alternis vicibus exciperet. Hos quoque versus inter eas distribuit G. Hermann, et in stropha et in antistropha duos priores Antigonae, tertium Ismenae vindicans, et G. C. W. Schneider, in stropha Antigonae, in antistropha Ismenae esse statuens universos. Sed equidem mihi persuasi multo praestare retenta antiqua cantati a pluribus ephymnii ratione hic quoque cantata esse ephymnia a pluribus quam cetera strophae antistrophaeque existimare. Aut igitur chorus aut coniunctae sorores canunt. Illud enim Schuetz, Blomfield, Goebbel (De ephymniorum apud Graecos et Romanos rationibus, Diss. Gott. 1858), Westphal, Wilamowitz (ed. Choeph. p. 187, ann.) volunt, hoc olim Hermann plurimique recentes editores. Atque ego cum his ephymnia, quibus totius threni quasi summa continetur, coniunctis sororibus tribuere non dubito. Nam valde aptum est eas alterni cantus per communes versus finem facere, quare recte fecisse eos puto, qui item ultimum versum proodi ultimumque epodi ambabus dederunt. Si contra chorum ephymnia canere statuamus, facere non possumus quin etiam in fine proodi et epodi ei aliqua canenda tribuamus; sed eis locis vix quidquam pariter idoneum, quod choro detur, habemus. Praeterea chorus satis dolori inde a versu 817 indulsit, chorico illo v. 817—846, et postquam provenerunt sorores, θρήνῳ ἀμοιβαίῳ 860—940, sive totus a partibus choreutarum, sive alterne a choreutis et sororibus cantatus est.

Hermann, quem sequitur Ritschl, praeterea ante ephymnium antistrophae verba

ὀλοὰ λέγειν, ὀλοὰ δ᾽ὁρᾶν

retinet, quae in codice non solum in epodo (984/5), sed etiam hoc loco, post 976, leguntur, atque in respondentem strophae locum ex epodo transponit, item inter sorores distribuens. Quod si rectum esset, ephymnium iam aliquanto amplius quam nos fecimus esset statuendum. Sed non rectum esse puto. Nam quod Westphal (prol.

ad Aesch. p. 132) dicit mirum esse, si post διπλᾶ λέγειν, διπλᾶ δ'ὁρᾶν duorum versuum intervallo intermisso poeta perrexisset ὀλοὰ λέγειν, ὀλοὰ δ'ὁρᾶν, probo, ratus, si ita esset, poetam ut in stropha ita in antistropha, cum tam magna toti insit carmini aequalitas atque responsio, vocabula λέγειν et ὁρᾶν repetiturum fuisse; quod non fecit, siquidem v. 973/4 legitur τάλαν γένος, τάλαν πάθος. Et quod protulerunt Hermann et Westphal (qui ex verbis proodi coniunctis cum compluribus epodi primum stropharum par efficere conatus nostra verba in antistropham suam primam recipit), ea sententiarum contextui epodi non convenire eumque interrumpere, mihi persuadere non potuerunt. Nam praeterquam quod in summo dolore sententiarum consecutionem stricte ad logicam rationem accommodatam exspectare non debemus, hic nihil rationem offendit. Postquam enim sorores dixerunt fratres ea, quae ipsae ephymnio pronuntiavissent, illo bello esse expertos, per ὀλοὰ λέγειν, ὀλοὰ δ'ὁρᾶν denuo totum eorum, qui mortui ante eas iacent, fatum lamentantur; quod cum genti patriaeque tum ipsis (sororibus) gravissimum esse pergunt. Itaque cum difficilius non sit putare haec verba ex v. 984/5 per errorem esse repetita quam e stropha in epodum falso migravisse, rectissime recentes editores (ut Kirchhoff, Wecklein, Weil) in antistropha omnino ea sustulerunt. Quod scholiastes quoque commendat; nam scholium ὀλοὰ λέγειν: οὐ μόνον ταῦτα λέγειν ὀλοά, ἀλλὰ καὶ ὁρᾶσθαι· κεῖται γὰρ τὰ σώματα non ad antistropham, sed ad epodum annotatum est.

In Supplicum fabula bis poeta ephymnii more usus est, in parodo et in κομμῷ (inde a v. 832), quem alternant Danaides et praeco Aegyptius, qui cum servis, ut in Aegyptum illas reduceret, advenit; quam partem corruptissimam totius Aeschyli esse notum est. Cum praeco minis frustra iactatis iam per vim eas crinibus abstrahere conetur, ei stropharum pari, quo ille araneae nigrae propius propiusque arrepenti, atque echidnae virgines morsu tenenti[1]) comparatur, et strophae et antistrophae, subiuncta sunt haec:

1) Secundum Weilii coniecturam ἔχιδνα δ'ὥς μέ τις ποτιδακοῦσ' ἔχει.

ὀτοτοτοτοῖ.
μᾶ Γᾶ, μᾶ Γᾶ, βοᾶν
φοβερὸν ἀπότρεπε,
ὦ βᾶ Γᾶς παῖ Ζεῦ.

Ceterae carminis strophae ephymniis carent. Quod bene poeta fecit, cum hoc ipso loco ad summum timoris atque trepidationis gradum Danaides pervenerint; nam quae sequuntur: ἰὼ πόλεως ἀγοὶ πρόμοι, δάμναμαι (916) et διωλόμεσθ᾽· ἄελπτ᾽, ἄναξ, πάσχομεν (919) iam tranquilliore animi statu pronuntiant videntes nescio tamen adhuc praecone appropinquantem ipsis regem. — Quin recta sit scholiastae interpretatio, qui μᾶ esse μῆτερ et βᾶ (quod, si ita est, sine dubio in πᾶ cum Pauwio est mutandum) πάτερ dicit, non dubito. De industria puto poetam hic naturalibus vocibus πᾶ et μᾶ usum esse, eo consilio ut antiquitatis cuiusdam colorem verbis impertiret. Huc accedit magnus monosyllaborum vocabulorum numerus similisque vocum μᾶ, Γᾶ, πᾶ, Γᾶς sonitus. Quibus rebus, quae per se hic minime sunt necessaria, hoc ephymnium insoliti aliquid accipere atque, ut ita dicam, ad quandam formulae similitudinem redigi apparet; nec mihi videtur probabilitate carere hic quoque, ut in Persis (p. 16), magicam quandam ephymnii vim statuendam esse, qua virgines praeconem eiusque satellites repellere studeant.

Iam quos locos ut tractemus restat, ii sunt, quibus multi viri docti contra codices aut formam ephymnii inferunt omnino non exstantem, aut ephymnium saepius qum traditum sit ponendum esse volunt. Sunt autem hi: Supplicum tertia pars parodi (118—181), Eumenidum primum stasimum (322—399), Agamemnonis magnus κομμός (1449—1576), Choephororum stasima secundum (779—836) atque tertium (934—970). Horum carminum ut etiam eis stropharum paribus ephymnia vindicarent, a quibus in libris manuscriptis absunt, commoti sunt ea re, quod his locis ubicunque ephymnia non sunt tradita, inter stropham antistrophamque pars legitur, quae extra omnem responsionem

posita videtur. Quam ubique uno eodemque restituti ephymnii remedio efficere sunt conati, monstrantibus viam imprimis olim G. C. W. Schneidero, nostris temporibus A. Kirchhoffio.

Atque id quidem nemo non concedet, quod ad verisimilitudinem attinet, ei emendandi rationi difficultates obsistere paene nullas. Nam in manuscriptis ut antistropharum ephymnia omitterentur, facillime fieri poterat. Librarios enim, ut aliquantum scribendi laborem sibi levarent, nonnunquam ephymnia post strophas exscripta post antistrophas repetenda esse signis quibusdam tantummodo significavisse per se consentaneum est, id quod nos quoque et in poematis et in modis musicis tam scribendis quam typis exprimendis facere solemus. Tales autem notas in codicibus facile excidere potuerunt, et exciderunt saepe, ut exemplum docet paragraphorum, quibus personarum vices indicantur.

Sed priusquam illos homines doctos sequamur, unoquoque loco quaerendum nobis est, num id, in quo haeserunt, re vera praebeat offensionem, quae non alio modo verisimilius amoveri possit; vehementer autem, quod magni est momenti, caveamus, ne forte quid obsit restitutioni ephymniorum mera forma quamvis commendatae.

Ac primum aggrediamur ad Supplicum parodum. Ea similiter atque Agamemnonis et Persarum parodus in tres dividitur partes, anapaestica systemata, quinque stropharum paria ephymniis carentia, quorum metrum e dactylicis et iambicis trochaicisque ordinibus est compositum praevalentibus tamen multo dactylicis, tria, quorum metrum reiectis plane dactylis est iambicum aut trochaicum (vel iambochoriambicum cet.). Cuius tertiae partis compositio haec est, ut duo priora stropharum paria ephymniis sint ornata, inter tertiam autem stropham et antistropham complures versus sine antistrophica responsione legantur. Tradita igitur forma haec est:

Str. α
  Eph. α
Ant. α
  Eph. α

Str. β
  Eph. β
Ant. β
  Eph. β

Str. γ
  δ
Ant. γ.

Eam hic valde miram esse nemo negabit. Nam primum in tripartito tam perspicue carmine exspectamus fore ut eadem composito, praesertim qua maxime tertia pars a secunda differat, per totam tertiam partem servetur. Deinde poetam hoc loco minime insigni[1] nonnullis versibus extra responsionem positis aequalitatem structurae prorsus violavisse nequaquam probabile est neque ullo exemplo videtur confirmari. Itaque ad restituendam responsionem iam Canter eam partem, quam per δ significavimus, post antistropham tertiam iteravit, eique paene omnes posteri editores sunt assensi; rectissime, ut opinor. Nam ad sensum non minus accommodate accedunt ad antistropham tertiam versus 168—173 post 181 repetiti quam ephymnia ceteris carminis locis ad verba praecedentia. Qua de re accuratius videamus. Prima stropha Danaides sese ipsas canendis talibus malis (qualia antea cecinerunt) etiamnum vivas quasi lugubribus lamentationibus celebrare dicunt; antistropha, quae a simili, ut videtur, sententia incipit[2]), anxiae sunt quonam causa sua sit evasura. Utrique ephymnium additum est hoc:

1) Ea de causa locus Choeph. 802—807 comparari non potest, de quo vide p. 48 sq.

2) Duo primi versus corrupti sunt; ut illum sensum eis inesse existimem, adducor vocibus ἐναγέα τέλεα et θάνατος ἀπῇ. ἀπῇ enim, non ὅπῃ in archetypo fuisse scholiastes testatur.

ἰλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν,
καρβᾶνα δ' αὐδὰν
εὖ, γᾶ, κοννεῖς.
πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι
λίνοισιν ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ,

neque quod ad grammaticam neque quod ad sensum attinet, artius cum antecedentibus coniunctum, sed tamen ad sensum satis aptum, cum paene totum per carmen invocationes lamentationes, lamentationes invocationes excipiant. Nec, si re vera initium antistrophae sensum sensui strophae similem continet, conexus violatur, quoniam illius verba plane nova sunt nulla voce ad stropham relegante. Altero autem loco ephymnium cum stropha atque cum antistropha tantopere cohaeret, ut etiam grammatice id cum eis coniungere liceat. Invocant stropha Iovem, antistropha Dianam virgines, ut post felicem navigationem ipsas porro quoque servent, atque ephymnio

σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
εὐνὰς ἀνδρῶν, ἔ, ἔ,
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν

accuratius a quanam praecipue re servari velint explanant. Infinitivus ἐκφυγεῖν ad verbum κτίσειεν (146) et ad ῥύσιος γενέσθω (156; = ῥυσάσθω) ita trahendus est, ut statuatur constructio infinitivi qui dici potest finalis, qua liberiorem in modum aliquid addi solet, quod is, de quo sermo est, ex actione principalis verbi sequi vult (cf. Kühner II, p. 586) [1]). Atque in tertio stropharum pari ephymnium ei loco, ubi non est traditum (post antistropham) tam bene convenit, ut ibi multo melius cum ceteris sit conexum quam ubi legitur, post stropham. Verba enim antistrophae tertiae „et tunc Juppiter, si perdiderit Jonis progeniem eo quod nunc aures avertit, in causa non iusta deprehendetur“ non ea quae

---

1) Alii, ut Oberdick (ed. Suppl., 1869), solvendam esse a constructione ceterorum constructionem ephymnii putant poetamque hic infinitivum absolutum optative posuisse, ut Sept. 239 θεοὶ πολῖται, μή με δουλείας τυχεῖν. Quod si fit, sensus tamen conexus artissimus est.

sunt in ephymnio strophae,

ἆ Ζήν, Ἰοῦς ἰὼ
μῆνις μάστειρ' ἐκ θεῶν.
κοννῶ δ' ἄταν γαμετᾶς
οὐρανόνικον. χαλεποῦ γὰρ ἐκ
πνεύματος εἶσι χειμών,

continuant, sed stropham, qua Danaides se, si Jovis Dianaeque auxilii expertes maneant, ad Plutonem sese conferre, suspendio vitam finientes, coactum iri dicunt. Simili igitur modo atque post primam stropham invocatione intermissa contextus sententiarum aliquantum interrumpitur; sed non turbatur; nam adverbium *τότε* (174) nemo non potest referre ad ea quae ephymnium antecedunt. At in antistropha postquam dictum est Jovem, si preces virginum neglegeret, non recte facturum esse, pergitur „de summo caelo autem audi nos te invocantes“, neque quidquam post ea verba aptius cogitari potest quam ipsa invocatio, quae reposito ephymnio sequitur. Itaque si quis nihilo minus ephymnium hic respuat, praestare puto versus 168–173 quasi epodum post 181 transferre quam (id quod Hartung fecit) servato ordine mesodum inter stropham et antistropham statuere. Nam insolita structura, quam supra exprobravi, certe ita evanescit.

Sequatur nunc primum Eumenidum stasimum. Cuius compositio in codicibus ea est, ut primi paris et stropham et antistropham ephymnium sequatur, alterius inter stropham et antistropham pars responsione carens interiecta sit itemque tertii, quartum solitam praebeat formam strophae et antistrophae, hunc in modum:

Str. *α*
  Eph. *α*
Ant. *α*
  Eph. *α*.

Str. *β*
  γ
Ant. *β*.

Str. δ
ε
Ant. δ

Str. ζ
Ant. ζ.

Repetitis eis, quae littera γ notavimus, post antistropham β, et eis, quae littera ε, post antistropham δ ut ephymniis sane multo simpliciorem carminis formam efficimus amoventes maximam offensionem partium γ et ε responsione exclusarum. Iam ut dicamus, quid nobis de ea re censendum videatur, examinemus, quaenam sententiarum ratio inter ephymnia et ceteras partes intercedat. Primi stropharum paris ephymnium

ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος, παρακοπά,
παραφορὰ φρενοδαλής,
ὕμνος ἐξ Ἐρινύων,
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρ-
μικτος, αὐονὰ βροτοῖς

neque cum stropha neque cum antistropha artius cohaeret, sed novam sententiam ab illis alienam addit. Nam stropha Furiae cum invocata Nocte matre conqueruntur, quod Apollo ipsas infamiae traditurus sit eripiens sibi Orestem, qui propter commissam matris caedem ipsarum iuris sit, antistropha gloriantur suum esse, quicunque caedem patraverit, eum viventem mortuumque persequi; contra ephymnio iam non de sempiterno generalique negotio suo loquuntur, sed de impetu quem nunc in Orestem hoc ipso carmine animum eius vincientes (cf. p. 16) faciant. Quodsi ita sensus ephymnio aliquantum interrumpitur, tamen ne hic quidem ullo modo turbatur, immo particula *γάρ* primi antistrophae versus et *λάχη τάδε* [1]) in initio secundae strophae non minus apte ad

---

1) *τάδε* propter *δ(έ)* insequentis versus, quod retinendum est, ad priora est referendum, ut saepius pronomen *ὅδε* apud poetas atque etiam antiquiores rerum scriptores, ut Herodotum et Thucydidem.

ephymnium quam ad ea, quae id antecedunt, referuntur. Nam etiam illa παρακοπά, παραφορά, ὕμνος δέσμιος, αὑονὰ βροτῶν inter earum sortes sunt. Sed prorsus aliter res se habet in altero stropharum pari. Nam versibus

ἀνατροπάς, ὅταν Ἄρης
τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ.
ἐπὶ τόν, ὦ, διόμεναι
κρατερὸν ὄνθ' ὁμοίως
μαυροῦμεν ὑφ' αἵματος νέου,

ubi tradita sunt, tam idoneus quidem locus est, ut deesse omnino non possint, cum ultimi strophae versus verbum εἱλόμαν in eis habeat obiectum (ἀνατροπάς), genitivus δωμάτων substantivum, ad quod sit trahendum (idem ἀνατροπάς): sed si iterantur post antistropham (cuius in initio lego cum Kirchhoffio σπεύδομεν αἵδ'), cum ea nonnisi per summam violentiam possunt coniungi, si modo possunt. ἔθνος τόδε (367), cui Juppiter commercio et colloquio [1]) suo interdixit, est, ut recte explicat scholiastes (τὸ τῶν φονέων), vulgus interfectorum [2]), neque intellego qui factum sit, ut nonnulli viri docti (ut Abresch, G. Hermann) putarent ipsas Furias spectari; nam sive genuina est v. 366 particula γάρ sive

Cf. Krüger ad Thuc. I, 2, 3 et Kühner, Griech. Gram. II, p. 557. Exempla Sophoclea, quae quidem exstent in Oedipodis Tyranni fabula, collegit Dindorf, lex. Soph. s. ὅδε 10.

1) λέσχη hic non est locus, quo colloquendi disputandique causa homines convenire solent, sed sermo, confabulatio, colloquium; quam ad significationem conferendi sunt Euripidis loci Hipp. 386 μακραὶ λέσχαι atque Iph. Aul. 1001 λέσχας πονηρὰς καὶ κακοστόμους et Herodoti II, 32 et IX, 71, quibus cum dicit ἀπικέσθαι ἐς λέσχην et γίγνεται λέσχη idem est atque ἀφικέσθαι εἰς λόγους et γίγνεται λόγος.

2) ἔθνος igitur hic significationem habet classis vel ordinis, ut apud Xenophontem quoque, Platonem, Demosthenem. Affero Plat. Polit. 290B τὸ κηρυκικὸν ἔθνος. Gorg. 455B ἢ περὶ ἄλλου τινὸς δημιουργικοῦ ἔθνους. Xen. Conv. III, 6 οἶσθά τι ἔθνος ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν. Dem. XXIII, 146, quem locum exscribo: εἴ τις ὑμᾶς ἔροιτο, τί πονηρότατον νομίζετε τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων ἐθνῶν, οὔτε τοὺς γεωργοὺς οὔτε τοὺς ἐμπόρους οὔτε τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων οὔτε τῶν τοιούτων οὐδὲν ἂν εἴποιτε, ἀλλ' εἰ τοὺς ἐπὶ μισθῷ λέγειν καὶ γράφειν εἰωθότας εἴποι τις, εὖ οἶδ' ὅτι συμφήσαιτ' ἂν ἅπαντες.

alicuius librarii interpretamentum[1]), causa sententiae antecedentis („nos Jovem ceterosque deos cura puniendi interfectores liberamus, ne eis opus sit iudicium de eis instituere") versibus 366/8, si quidem iure quodam sensus progressionem poscimus, utique affertur neque afferri potest nisi voce *ἔθνος τόδε* ad interfectores relata; quo accedit quod Furiae sese ipsas attributo *ἀξιόμισον* dehonestantes a poeta induci vix potuerunt[2]). Ad interfectorum autem vulgus substantivum *ἀνατροπάς* ne per liberrimum quidem appositionis genus referri potest, cum *ἀνατροπαί* hic sint non quae ab interfectoribus, sed quae a Furiis fiunt (quod apparet et ex stropha et ex forma coniunctivi aoristi *ὅταν ἕλῃ*). Quare nonnulli, ut Wecklein, *ἀνατροπάς* appositionem esse ad *τάσδε μερίμνας* (362) voluerunt. Quod quam per se non probabile sit, nemo non videt, duobus longis duobusque brevioribus versibus, quos ne quasi meram parenthesin accipiamus toto verborum conexu prohibemur, intermissis. Neque tamen verisimilior est aliorum ratio, qui quaerentes inter antistropham repetitosque illos versus coniunctionem in his aliqua mutaverunt (ut Bergk *ἀνατροπάς* in *ἐπιτρέπων*), vel ea de causa quod propria ephymnii natura repetendi eadem verba sic violatur. — Sed hic forsitan aliquis ad defendendum ephymnium dicat multo melius tertiam stropham accedere ad iteratam partem *γ* quam ad antistropham secundam, praesertim cum particula *τέ* adiuncta sit. Quod nequaquam tam grave quam illa offensio mihi videtur. Nam artius stropham tertiam cum antecedentibus coniungi non necesse

1) Aut enim propter versum strophae, qui incipit *παλλεύκων δὲ πέπλων* in initio quoque dactylicum rhythmum praebens, homines docti eiecerunt *γάρ* scribentes *Ζεὺς αἱμοσταγὲς ἀξιόμισον* (Ahrens), aut antistrophae *γάρ* intactum esse rati atque mutato tantum *αἱματοσταγές* in *αἱμοσταγές* versum constare ex monometro trochaico catalectico et pentametro dactylico in stropha scripserunt *παντολεύκων* pro *παλλεύκων* aut, quod est in Mediceo, *πανλεύκων* (Rossb. et Westph.). Neutra mutatio difficilis est.

2) Nam ut *ἀξιόμισον* ex sententia Jovis dictum accipiam, quod nonnulli volunt, impetrare a me non possum.

fuit, cum nova pars per eam incipiat, qua describitur, quae ex Furiarum invasionibus sint secutura; et quod ad particulam τέ attinet, tenendum est in antiquiore lingua saepius tam levem enuntiationum coniunctionem poni, ubi ex usu posteriorum temporum acriorem exspectemus; cuius rei praecipue Thucydides exemplar est (cf. initium capitis 9 libri I, et Krügeri ann. ad I, 4). Cui autem id non satisfacit, ei particulam τέ in δέ (Bergk) vel in γέ (Abresch) mutare licet, admodum facili mutatione, siquidem non raro τέ, δέ, γέ in codicibus confunduntur. — Ne tertio quidem loco, si repetitur post antistropham δ pars ε, conexus sententiarum, quanquam multo est tolerabilior, omni vitio est vacuus. Verbis eius

μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμάν,
σφαλερὰ τανυδρόμοις
κῶλα, δύσφορον ἄταν

describunt Furiae, quomodo impetus suos perficiant. Quod sane ut causa apte subiungitur strophae δ, qua dicunt etiam magnas glorias hominum gravibus ipsarum invasionibus evanesci; sed postquam antistropha δ additum est mentem eius, qui a Furiis peteretur, adeo obscuratam esse, ut ne sentiret quidem casum suum, et exsecrationes populi contra eum multas invehi, minus apte repetitur, quomodo Furiae impetus suos faciant, praesertim quod particula γάρ additum sit. In stropha enim voces ἐφόδοις et ὀρχησμοῖς ποδός insequentibus versibus explicantur, in antistropha repetitum ephymnium nihil quod eandem explicationem tam facile patiatur antecedit.

Quae ita esse defensores ephymniorum negare non possunt. Sed hoc ipsum ephymnii proprium esse contendunt, ut per coniunctionem valde laxam ad cetera accedere possit, innisi loco Aristophaneo, Ranarum versibus 1264 -1277, ubi in certamine illo poetico Euripides cantica Aeschyli vituperat. Illic verba ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν

quinquies singulis versibus, quos alios ex aliis Aeschyleis fabulis ad libidinem elegit, Euripides addit, eo modo ut primo loco cum praecedente versu sanam efficiant enuntiationem, ceteris neque grammatice neque logice ulla ratione cum antecedentibus construi queant. Exsistit ita carmen hoc (post secundam et post tertiam periodos singulis Dionysi paroemiacis interruptum, id quod tamen ad nostram quaestionem nullius est momenti):

Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ, τί ποτ' ἀνδροδάικτον ἀκούων
ἰὴ κόπον οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν.
ἰὴ κόπον κτλ.
Κύδιστ' Ἀχαιῶν Ἀτρέως πολυκοίρανε μάνθανέ μου παῖ.
ἰὴ κόπον κτλ.
Εὐφαμεῖτε. μελισσονόμοι δόμον Ἀρτέμιδος πέλας οἴγειν.
ἰὴ κόπον κτλ.
Κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν.
ἰὴ κόπον κτλ.

Ex hoc centone Wecklein (l. l. p. 220) concludit non modo ephymnii usum apud Aeschylum frequentem fuisse, sed etiam saepe talem, ut ephymnium cum stropha quidem, sed non cum antistropha arte atque accurate esset coniunctum eoque modo sensus prae re musica aut forma aliquantum neglectus esset.

Recte eodem loco ipse Wecklein tenendum esse admonet comicos poetas ad movendum risum res augere solere. Quod profecto ab iis, qui ex poesi comica (comoediarum atque satirarum) verum alicuius rei, quae ibi exagitatur, statum discere volunt, respici mihi quoque maximi esse momenti videtur; nec satis Weckleinium id respexisse puto. Quatenus enim unaquaeque res ab illis ridicule sit aucta, si aliis fontibus caremus, difficillimum est ad diiudicandum, ita ut saepe id fieri omnino non possit. Velut hic minime necesse esse duco coniunctionem ephymniorum cum ceteris parum artam irrideri. An quisquam centendere audebit Aristophanem, si ephymniorum freqentem usum solum irridere

coniunctionem eorum omnino non spectans in animo habuerit, id facere non potuisse illo carmine? Sed tamen Weckleinio concedamus etiam ad coniunctionem ephymniorum aliquantum poetae ludibrium hic pertinere. Quaestio igitur nova exsistit quinam verus sit rei status. Atque ut statim quid sentiam proferam: non verisimile esse censeo poetam unquam, ut ab Euripide Aristophaneo fit, ephymnia ita addidisse ut ineptiae evaderent. Quod primum Aeschyli ingenio prorsus indignum mihi videtur. Deinde autem non multum fidei Aristophanis ludibrio tribuendum esse efficio ex ea ratione qua alias Aeschyli Euripidisque consuetudines vel locos in eadem fabula irrideri facit. Velut in hoc exemplo: Hoc ipso loco eo, quod Euripides versus ex diversis Aeschyli fabulis collectos componit, ut una cum ephymnio post unumquemque eorum repetito unum choricum cantum efficiant, non totius alicuius Aeschyleae strophae singulis versibus iocosam illam appendicem addit (itemque v. 1285—1295, ubi *φλαττοθραττο φλαττοθρατ* immiscetur), obscuritatem quandam Aeschyleorum choricorum impugnari Kockio concedemus, qui (ad v. 1264) annotat: poetam eo modo significare voluisse, si quis eiusmodi centones composuerit, non obscuriorem sententiam evadere quam quae insit in carminibus intactis. Quanquam quis est quin sciat, quam parva pars eius criminis iusta sit.

Propterea igitur non licere existimo adhibito loco illo Aristophaneo ephymnium nostro loco post antistrophas alteram et tertiam repetitum defendere. Nam etsi fortasse post tertiam antistropham tolerari possit, certe si post secundam restituatur, iam non multum ab ineptiis illis Aristophaneis differat.

Sed quoniam hunc Ranarum locum semel attigimus, quaerendum est, cum Aristophanis ludibrium ad talia nostra quidem sententia pertinere non videatur, quaenam ephymniorum exempla eo teneantur. Reminiscamur quae adhuc nobis occurrerint liberioris cum antecedentibus ephymnii coniunctionis exempla. Hoc quidem genus, quo, ut nostro

loco in primo stropharum pari, aut in primo et tertio Supplicum parodi partis tertiae (p. 24 et 25), ephymnium intericitur ita, ut non ipsum sensum strophae continuet, sed tamen talibus verbis excipiatur, quae omnino nullam obscuritatem aut dubitationem admittant, offensionem praebere non poterant. Sed illud, quod inter omnia ephymnii apud Aeschylum exempla maxime ad popularem atque simplicem morem appropinquat, quo compositae sunt Eumenidum exodus et Agamemnonis parodi secunda pars, offendere poetam poterat. Nam emphymnia hic adeo non cohaerent cum ceteris, ut potius in Eumenidum exodo semel (v. 1036) mediam eorum, qui cetera canunt, enuntiationem interrumpant, in Agamemnonis parodo bis si non grammaticam constructionem ad tamen sensum (narrationem prodigii eorumque quae sequebantur), neque aut hic aut illic eorum postea (in eis quae proxime sequuntur) ratio habeatur; quod quomodo fiat supra vidimus. Nec dubito quin eiusmodi Aeschyli exempla Aristophanis ioco spectentur — si re vera poeta de annectendi ephymnia ratione hic omnino cogitari voluit.

Si igitur, ne secundo tertioque locis in nostro Eumenidum cantico ephymnia introducamus, nobis dissuadetur, tamen quod traditae formae partes γ atque ε non habent, quod eis respondeat, valde displicet, proboque eorum operam, qui aliquo modo responsionem efficere studuerunt. Et facile adducimur, ut statuamus illas partes ab origine inter se respondisse, cum et numerus versuum congruat et metrum trium priorum (quartique medii) idem sit, diversitas ceterorum autem haud ita vehementer sit premenda, quia metrica forma versus 360 *μαυροῦμεν ὑφ᾽ αἵματος νέον* non sine offensione est, et scribae, si responsionem iam non cognoscebant, facilius metra corrumpere poterant, ut factum est in plerisque epodis. Et proposuerunt eam medelam plurimi eorum, qui ephymnia invitis codicibus noluerunt statuere. Sed plures eorum praeterea ordinem partium qui est in codicibus mutaverunt, ita ut mesodica compositionis forma e carmine evanesceret. Velut Heath, quem non pauci sunt

secuti, partem ε post antistropham β, Th. Heyse partem γ post antistropham δ transposuerunt, M. Schmidt praeter Heathii transpositionem sedes strophae δ et antistrophae δ commutavit. Cum eis facere minime possum. Illud quidem praetermitto falsae translationis in codicibus causam probabilem deesse. Sed cum servato codicum ordine sententiarum continuatio optime procedat, ita mutato turbatur vehementissime. Quod ut vitarent, alii alias coniecturas protulerunt, quarum tamen et magna qua opus erat multitudine et violentia verisimilitudinem rationis suae maxime ipsi debilitaverunt.

Hanc igitur formam omnium unam rectam esse puto:

Str. α
  Eph. α
Ant. α
  Eph. α

Str. β
  Mesodus γ
Ant. β

Str. δ
  Antim. γ (= ε p. 26.)
Ant. δ

Str. ζ
Ant. ζ.

Quod autem contra eam Weil olim dixit (Rh. M. 16,206), non debere enuntiationem *δωμάτων γὰρ εἱλόμαν ἀνατροπάς κτλ.* (355sqq.) eo divelli, quod a voce *ἀνατροπάς* novam stropham ab antecedenti prorsus diversam ordiri statueretur, refellitur duobus locis Aeschyleis, quibus enuntiatum in antistropha coeptum in stropha insequentis paris finitur, Ag. v. 238—248 et Sept. v. 730—741; eidem symmetriam compositionis desideranti obiectamus ipsis metris aliquantum nos admoneri, ne traditionem relinquamus aut ephymnia introducentes aut ordinem mutantes. Nam tres partes, in quas secundum traditionem carmen dividitur, una ephymniis instructa, altera mesodis, tertia mere antistrophica, cum tribus partibus,

quae diversitate metrorum exsistunt, congruunt: siquidem primum stropharum par ex trochaicis versibus, secundum tertiumque — exceptis mesodis — e dactylicis, quartum ex iambicis constat, nisi quod omnia in trochaicum dimetrum catalecticum exeunt.

Quae cum ita sint, necesse esse puto agnoscere hic mesodicam compositionem, cuius rei si nullum aliud apud Aeschylum exemplum exstaret, ex hoc loco cogeremur concludere poetam ei indulsisse. Sed exstat: unum quidem certum exemplum est Choephororum magnus *κομμός*, quem Orestes, Electra, chorus canunt (v. 314—473), cuius structura est haec *αβα* Sy. *γβγ* Sy. *δεδ* Sy. *ζεζ*. *ηθθη* *ιι* *κκ*. Quod in mesodicis partibus stropham Orestes, ipsam mesodum chorus, antistropham Electra canit, non impedit quominus id exemplum adhibeamus. Formam illam compositionis Aeschylo notam fuisse utique eo comprobatur, neque patet cur poeta, si in *κομμοῖς* ea uti poterat, in carminibus a solo choro cantatis uti non potuerit. Praeterea comparandus est locus Sophocleus, ex quo Sophoclem quidem mesodica compositionis forma ita usum esse cognoscimus, ut ab eodem et strophae et mesodi canerentur, Trach. 1005 sqq. Cui mesodicam responsionem inesse post Seidlerum (De vers. dochm. p. 311 sqq.) viri docti credunt, hac ratione

Str. *α*	Mes. *β*.	Ant. *α*	Mes. *γ*	Str. *δ*	Antimes. *β*	Ant. *δ*
1005—1005b	1006—13	1014—17	1018—22	1023—26	1027—40	1041—43

Earum partium mesodus *γ* (quinque hexametri dactylici) sane *πρέσβεως* et Hylli est, sed cetera omnia ab eodem Hercule cantantur.

Alia autem Aeschylea eiusdem rei exempla infra nobis evasura esse spero.

Atque ut respondentes inter se ultimos duos mesodorum versus redderent, alia alii proposuerunt. Multi tamen Hermannum sunt secuti, qui pro *μαυροῦμεν ὑφ᾽ αἵματος νέον* (360) olim scripsit *μαυροῦμεν νέον αἷμα*, antecedentes versus faciliore mutatione ad responsionem perducens. Sed neque placet qua ratione ipse suam coniecturam interpretatur

(*νέον αἷμα* esse iuvenilem sanguinem; at contra est recens fusus sanguis, neque usquam dictum est interfectorem esse *νεανίαν*, adulescentem) neque qua C. Weyrauch (progr. Vratisl. 1878, Realschule zum heiligen Geist) defendit (*νέον αἷμα* esse, ut *δύσφορον ἄταν* v. 378, liberam appositionem ad totam praecedentem enuntiationem; at etsi hoc loco ipsum *καταφέρειν πόδα* id est quod *δύσφορος ἄτα* nominatur, tamen *μαυροῦν* nondum est *νέον αἷμα*, sed *νέον αἷμα* consequitur demum fortasse ex eo). Equidem puto huius versus aliam metricam normam esse statuendam. Nam ceterae totius carminis partes omnes eadem versus forma finiuntur hac — ◡ — ◡ — ◡ —, stropha *α*, antistropha *α*, ephymnium, stropha *β*, antistropha *β*, stropha *δ*, antistropha *δ*, stropha *ζ*, antistropha *ζ*; quod non fortuito factum esse videtur apparere ex eo, quod ille versus solus est trochaicus in secundo, tertio, quarto stropharum paribus. Quam rem iam Weil (l. l.) et Todt (Philol. 44,35) observaverunt. Ab ea forma mirum esset si harum partium finis differret. Et profecto conveniunt cum ea in mesodo sex ultimae syllabae *ὑφ' αἵματος νέον*, in antimesodo initium ultimi versus *κῶλα δύσφο*[*ρον*]. Incertum est, quomodo sit scribendum; sed exempli causa affero Todtii emendationes 359—60:

κρατερὸν ὄνθ' ὅμως μαυ
ροῦν ὑφ' αἵματος νέον[1]),

et 377/78:

σφαλερὰ τανυδρόμοισιν
κῶλα, δυσφόρως ἄγαν.

Sed cum hic non placeat postulata duarum brevium syllabarum *τανυ-* et unius longae *ὄνθ'* responsio, quam Todt defendit, aliquantum a via quam ille est ingressus declinemus. Atque nomen *τανυδρόμοις* quidem, quod bene cum dictione Aeschylea convenit, utique retinendum est; sed ut evanescat in eo duarum brevium syllabarum

1) Infinitivum *μαυροῦν* ita pendere a verbo *εἰλόμαν* vult, ut sit liberior appositio ad vocem *ἀνατροπὰς δωμάτων*; nam *ἀνατροπαὶ δωμάτων* hic fiunt eo, quod interfectorem *ἐπιδιώμεναι* Furiae *μαυροῦσιν*.

consecutio, secundam syllabam longam statuamus[1]), ut totum vocabulum formam praebeat diiambi. Quam formam in fine respondentis versus mesodi facillime efficìmus scribèntes *ἀμαυ-ϱοῦν* pro *μαυ-ϱοῦν*, quae mutatio nulla est, quoniam *ἀμαυϱοῦν* non mimus quam *μαυϱοῦν* a poetis tragicis usurpatum est (cf. Soph. frg. 685, Eur. frg. 420). Denique v. 377 post *σφαλεϱὰ* necesse est suppleri vocabulum unius longae syllabae, quod respondeat v. 359 vocabulo *ὄνϑ'*, exempli causa *γάϱ*, ut legantur loci hoc modo:

κϱατεϱὶν ὄνϑ' ὅμως ἀμαυ-
ϱοῦν ὑφ' αἵματος νέου

et

σφαλεϱὰ γὰϱ τανυδϱόμοις
κῶλα, δυσφόϱως ἄγαν.

In hac emendatione Blassii consilium sum secutus.

Transeamus ad locum non minus difficilem, magnum Agamemnonis fabulae *κομμόν* (1449—1576), qui postquam patrata caede mariti Clytaemestra patefactis foribus apud corpus mortuum stans atrociter factum causasque enarravit neque ullo modo se facinoris paenitere dixit, canitur ab ea atque choro. Compositus est ex tribus maioribus partibus, in quarum unaquaque binae chori expositiones binis Clytaemestrae responsis excipiuntur, ita ut huius verbis metrum subsit anapaesticum, quae ille dicit, artificiosiorem in modum sint concepta. Ecce tradita forma:

Str. α
Syst. I
β
Syst. II (Cl.)
Ant α
Antisyst. II[2]) (Cl.)

Str. γ
Syst. III } Eph.
Str. δ }

1) Quod facere licet, cf. Kühner-Blass I, p. 306,4.

2) Notis syst. II — antisyst. II, IV, VI nolui significare metricam responsionem (qua de re certatur, cf. p.44), sed tantummodo quandam locorum in structura carminis aequalitatem.

Syst. IV (Cl.)

Ant. γ

Antisyst. III } Eph.
Ant. δ

Antisyst. IV (Cl.)

Str. ε

Syst. V

ζ

Syst. VI (Cl.)

Ant. ε

Antisyst. VI (Cl.)

In altera parte antisystema III et antistropha δ verbo tenus cum systemate III et stropha δ congruunt, cum in prima aut tertia nulla ephymniorum vestigia inveniantur. Nihilo secius ibi quoque G. C. W. Schneider, Kirchhoff, Wecklein, alii repetendis systemate I cum parte β post antistropham α, et systemate V cum parte ζ post antistropham ε ephymnia esse restituenda censuerunt. Quod ut facerent eos non vitio conexus sententiarum esse adductos inter omnes constat; sed formam ita sibi correxisse videbantur et structuram primae tertiaeque partium alteri parem praebentes et systemati I partique β atque systemati V partique ζ tribuentes quae eis responderent; quae in libris manuscriptis extra responsionem videntur esse posita.

Ac videamus num quid e sensu, quod ad hanc quaestionem attineat, assequi possimus. Sermo est, ut Ahrensii verbis utar, in prima parte de antiquis Agamemnoniae caedis causis, in altera de ipsa ratione caedis, in tertia de iis, quae inde sint oritura. Ordior ab altera; in qua ephymnium positum est et ad sensum et ad suam propriam vim accommodatissime. Nam totius carminis quasi summa, ipse de mortuo rege chori planctus coniunctus cum Clytaemestrae incusatione ipsis potissimum verbis emphymnii exprimitur

ἰὼ ἰὼ βασιλεῦ βασιλεῦ,
πῶς σε δακρύσω;

φρενὸς ἐκ φιλίας τί ποτ' εἴπω;
κεῖσαι δ' ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ'
ἀσεβεῖ θανάτῳ βίον ἐκπνέων.
ὤμοι μοι κοίταν τάνδ' ἀνελεύθερον
δολίῳ μόρῳ δαμεὶς
ἐκ χερὸς ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ.

Verba reginae, quibus ephymnia excipiuntur, non minus v. 1522 (vel potius v. 1524) quam v. 1498 arte ad ea, quae proxime antecedunt, sese applicant: postquam chorus systemate III et stropha δ miseram Agamemnonis sortem lamentatus est culpam uxoris adiciens[1]), Clytaemestra respondet non se ipsam, sed Atridarum veterem *ἀλάστορα* ipsius forma et habitu indutum caedem perpetrasse. Et postquam chorus concesso *ἀλάστορος* adiumento eisdem tamen verbis iterum caedis culpam ei obiectavit, iam silentio eam confessa ne Agamemnonem quidem pergit culpa esse liberum, sed mactatae Iphigeniae filiae iustam poenam luisse. Atque eius verba tam bene ephymnio sunt adiuncta, ut particula *γάρ* (1524) intellegi non possit nisi suppleta in cogitatione Clytaemestrae voce *δολίῳ μόρῳ δαμείς*, ut hac ratione oratio procedat: Ch: dolo uxoris interiit. Cl: (merito interiit uxoris dolo;) nam ipse quoque dolum in domum intendit[2]). Et chori adiectivum *δόλιος* (1520) aperte regina v. 1524 resumit. — Cum igitur hic iterata chori invita Clytaemestra verba in continuatione sententiarum aptum necessariumque teneant locum, postea prorsus aliter res se habet. Choreutis systemate V et parte ζ

1) Versu *κεῖσαι δ' ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ'*. Praeterea necesse videtur restituere post *δαμείς* vocabulum aliquod coniugem significans aut eiusmodi pronomen, ut *δάμαρτος* vel *τῆσδ'* (Enger). Nam nimis nude *ἐκ χερός* positum est.

2) Neglexi v. 1522/3, offensiones grammaticam (coniunctione *οὔτε*) et metricam (hiatu inter v. 1523 et 1524) praebentes, qui quin spurii sint mihi cum plurimis viris doctis non dubium est. Orti sunt ex interpretamento (quod indicari videtur voce *οἶμαι*) alicuius, qui quomodo suppleri posset ad quod *γάρ* v. 1524 referretur explicare voluit.

ἰὼ γᾶ γᾶ, εἴθε μ' ἐδέξω,
πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
δροίτης κατέχοντα χαμεύνην.
τίς ὁ θάψων νιν; τίς ὁ θρηνήσων;
ἦ σὺ τόδ' ἔρξαι τλήσῃ, κτείνασ'
ἄνδρα τὸν αὑτῆς ἀποκωκῦσαι
ψυχῇ τ' ἄχαριν χάριν ἀντ' ἔργων
μεγάλων ἀδίκως ἐπικρᾶναι;
τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ
σὺν δακρύοις ἰάπτων
ἀληθείᾳ φρενῶν πονήσει;

anxie quaerentibus, quisnam regem rite terra conditurus et plancturus sit, Clytaemestra contumaciter respondet, ne rei, quae ad ipsos nihil pertineat, curam habeant; se ipsam quod opus sit facturam sine lacrimis contubernalium; Iphigeniam videlicet patrem apud inferos laetam accepturam esse et amplexuram. Eaedem autem partes si post antistropham ε quasi ephymnium repetuntur, ineptum est, quod chorus a regina modo vetitus tamen iterum de sepeliendo atque plangendo Agamemnone quaerit; ineptius, quod a regina respondente id omnino neglegitur, cum ex priore responso iure exspectemus fore ut vehementer propter repetitam contra ipsius voluntatem interrogationem irascatur, cum eam antea tam graviter castigaverit; ineptissimum, quod ea pergit nunc rectum vaticinium chorum pronuntiavisse [1]). Quas offensiones tamen Wilamowitz videtur eo vitare, quod antisystemate VI reginam mutato animi consilio ad repetitam de sepeliendo plangendoque rege quaestionem respondere putat. Vertit enim primos eius versus:

„Diese Mahnung kam aus treuem Herzen.
Ich verspreche selbst dafür zu sorgen.“

Sed quo iure ea, quae ephymnio exponuntur, *χρησμός*

1) Probo enim Canteri coniecturam *ἐνέβη* in *ἐνέβης* mutantis (1566). Sed etiam si Casaubonum sequamur, qui *χρησμόν* in *χρησμός* mutat, quod tamen propter nimis nudum *χρησμός* minus placet, illae offensiones maneant.

vocentur, me plane praeterit. Nam χρησμός est, ubicunque invenitur, responsum dei, aut vaticinium. Quare ut in ephymnio nihil est quod χρησμός recte vocari possit, ita ea quae chorus pronuntiavit antistropha ε, imprimis sententiam

κεκόλληται γένος πρὸς ἄτᾳ,

aptissime voce χρησμός regina complectitur; neque Clytaemestrae verba ab illo chori vaticinio debere interiecto ephymnio dirimi pronomen τόνδε vocabulo χρησμόν attributum docet. Sic enim oratio bene procedit: Regina vaticinium, quod de Atridis se invicem necantibus modo audivit chorum proferentem, verum esse agnoscit simulque ne quando in ipsam cadat vehementer pavet, quare se cum generis daemone foedus facturam esse dicit. — Nec multum differt primus locus. Postquam chorus stropha α sibi mortem precatus est, quod Agamemno tam multa per duas feminas, Helenam et Clytaemestram, esset passus, systemate I et parte β

ἰὼ ἰὼ παράνους Ἑλένα,
μία τὰς πολλάς, τὰς πάνυ πολλὰς
ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίᾳ.
νῦν δὲ τελείαν πολύμναστον
ἐπηνθίσω δι' αἷμ' ἄνιπτον,
ἥτις ἦν τότ' ἐν δόμοις
ἔρις ἐρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς

Helenam exsecratur, quippe a qua totum malum sit profectum. Ad quae regina systemate II aspere respondet ne vitae eos taedeat neve contra Helenam iram avertant. Valde mirum sit, si nihilo minus repetitis post antistropham α ephymnii loco systemate I et parte β regina commemorationem, quam vetuit, Helenae iteratam non vituperet neque omnino respiciat, sed pergat dicere chorum nunc sententiam suam correxisse, cum nominavisset daemonem generis (id quod aperte ad v. 1469 referendum est). At huius rei causam afferre sibi visi sunt Wilamowitz (Ind. schol. Gryph. 1879/80, p. 6/7) aliique. Putant enim repetiti ephymnii verba esse daemonis Tantalidarum, cuius dominationem ex malis quae patravissent duae feminae (Clytaemestra et Helena) cognosci chorus

dixit; eum esse, qui apud corpus mortuum stans ὕμνον ὑμνεῖν dicatur ipsumque eius hymnum esse ephymnium insequens. Iam apparet, si recte tribuuntur daemoni repetita, satis esse cur Clytaemestra ea neglegat, cum choreutae sic non ipsorum suam, sed daemonis sententiam proferant; quanquam non video qui fieri potuerit, ut et Clytaemestra et spectatores verba non chori, sed daemonis afferri cognoscerent. At equidem id non probo. Nam primum nego daemonem, cum per Helenam atque Clytaemestram exitiosa facinora commiserit (ut ipse chorus declaravit), hic Helenae vitio ea vertere posse. Deinde non intellego quo iure daemonis cantus cum corvi vocibus comparetur. Nam tertium quod vocatur comparationis hic non solum videtur id esse, quod paud corpus mortuum statur, sed quod a stantibus apud corpus mortuum laeta tamen vox mittitur. Hoc ephymnium autem vix invenietur qui laetum cantum appellet. Contra Clytaemestra perbene cum corvo comparatur, neque quisquam nisi ea a spectatoribus intellegi poterat, cum inde a versu 1371 eccyclemate adhibito corpus Agamemnonis et Clytaemestra stans apud id conspiciantur. Atque hymnus, quem canit, sunt (translaticie) verba, quae usque adhuc hac in scena pronuntiavit, quibus facto gloriatur magna cum laetitia (cf. praecipue v. 1390—93). Quod etiam tertia persona ἐπεύχεται v. 1475 (post ἐμπίτνεις 1469 et κρατύνεις 1472) commendatur, quanquam eiusmodi personarum mutationes non inauditae sunt. Quominus ita subiectum verbi ἐπεύχεται reginam esse statuamus, tradita forma σταθεὶς non prohibemur; nam eae litterae eodem iure σταθεῖσ᾽ ante vocalem leguntur (sic primus Schuetz). Atque ut magis perspicuum sit iam non de daemone, sed de Clytaemestra chorum loqui — quod tamen tertia persona et forma σταθεῖσ᾽ satis indicatur —, accipiamus Weilii coniecturam, qui lacunam, quae exstat post ἐπεύχεται monstrante stropha, et quae poscit vocabulum iambici metri, voce γυνή explet, eo probabilius, quod ipsi coniecturae causa inest corruptelae, dico similitudinem litterarum vocabuli γυνή et insequentis νῦν.

Ita hoc primo loco viri docti, qui ephymnium reponunt, frustra aptam sententiarum continuationem statuere studuerunt; tertio conexum prorsus turbari vix quemquam fugere potest nisi quis Wilamowitzium sequitur (de cuius sententia supra egi). Nihilo secius quomodo ceteri ephymnium restitutum defendant, utrum adhibito illo ἰὴ κόπον Aristophaneo an aliter, nescio; Wecklein hic de illo adminiculo, ut videtur, desperans haec habet, ut eius verba afferam (ed. Orestiae ad v. 1566): Da das Ephymnium nur eine Wiederholung ist, schliesst sich die Erwiderung der Klyt. an das Vorhergehende an. Beim Vortrag wird dies dadurch klar, dass Klyt. sich dem Teile des Chores zuwendet, der 1559—1565 (= ant. ε) gesungen hat. (Similia Fleck. Jb. suppl. XIII, p. 231). Sed quam bene responsum Clytaemestrae secundo loco ad ephymnium se applicet, quanquam id ipsum quoque mera repetitione continetur, non ad ea, quae praecedunt, vidimus. Praeterea etiamsi certum esset, quod (Fleck. Jb. l. l.) statuit, strophas antistrophasque α, γ, ε trium carminis partium deinceps a tribus στοίχοις chori cantatas esse — quod minime certum est; confer quae contra dicit Muff (Fleck. Jb. 1883 p. 25sqq.) — quaerendum esset, num fieri potuerit, ut Clytaemestra verbis ἐς τόνδ' ἐνέβης ξὺν ἀληθείᾳ χρησμόν tertium στοῖχον compellans non totum chorum compellare videretur. Ac mirum esset quod certa traditaque exempla omnino non eam rationem monstrant; nam systemate II ad systema I et partem β (simul tamen etiam ad stropham α), systemate IV ad systema III et stropham δ, antisystemate IV ad antistropham δ, systemate VI ad systema V et partem ζ, omnibus denique his locis ad ea, quae proxime antecedunt, regina respondet, ad ea igitur, quorum posteriora (β, stropha antistrophaque δ, ζ) a toto choro cantata esse ipse Wecklein contendit.

Quae cum ita sint, iteratis ephymniis compositionis formam fortasse meliorem, sententiarum continuationem sine dubio peiorem reddiderunt. Addere mihi liceat quaedam, quae minoris quidem, sed tamen aliquanti esse momenti

videntur. Propriam vim ephymnii, ubi traditum est, bene servari supra vidimus (p. 37). Quod minus fiat primo loco tertioque, cum et Helenae commemoratio et sepeliendi domini cura magis ad singula pertineat quam ad merum planctum, quae est summa totius carminis. Neque quod vox ἀληθσίᾳ, quae in ultimo versu repetiti ephymnii exstet, versu insequenti recurrat, placere possit; nam cum v. 1524 adiectivum δόλιος e versu unius versus intervallo separato, 1520 (cf. p. 59, ann.), resumi a Clytaemestra de industria poeta fecerit, ut regina ad crimen δολίῳ μόρῳ δαμείς responderet, simile quid eum hic iterata voce ἀληθείᾳ voluisse suspicemur; quod non ita est, siquidem inter duo ἀληθείᾳ nulla ratio intercedit. Denique mirum sit quod secundo loco ephymnium servatum est, primo et tertio periit. Nam si voluerunt librarii per compendium hoc carmen scribere, potius primo loco ephymnium exscripturi fuerunt, ceteris nota aliqua significaturi, quam eam rationem, qua traditum est, secuturi. Sed huius quoque rei Wecklein (Fleck. Jb. l. l.) causam afferre studet. Putat enim non errore notas neglegentium esse factum, ut ephymnium bis excideret, cum eo loco, quo propter conexum sensus abesse non possit, post antistropham γ, servatum sit, sed eo quod de industria homines critici ephymnia ad sensum non necessaria eiecissent, scholio ad Ar. Ran. v. 1285 usus hoc: τινὲς δὲ καὶ σημειοῦνται αὐτό, ὅτι τῶν διορθωτῶν τινὲς περιεῖλον τὰς τοιαύτας ἐν τοῖς μέλεσι προσθέσεις. Sed maxime dubium est, num id scholium ad nostram causam adhiberi liceat (quod negat locum tangens Graf, l. l. p. 68). Nam illo Aristophaneo φλαττοθραττοφλαττοθρατ, quod scholiastes spectat, videtur aliqua Aeschyli consuetudo irrideri quae ad eius rem musicam, non quae ad verba aut sensum pertineat, et scholium videtur plane artis musicae esse atque agere de traditis instrumentorum sonis, aut hoc tantum eo indicari φλαττοθραττοφλαττοθρατ cum nusquam apud Aeschylum repperissent, homines doctos putavisse a correctoribus esse sublatum. Praeterea, si verum esset quod Wecklein putat, διορθωταὶ

eiecissent non quae ad sensum non necessaria essent, sed quae maxime eum impedirent, atque eo modo prudentiores atque elegantiores sese praetitissent quam magnus ille poeta tragicus.

Acquiescamus igitur in tradita forma, cogitantes etiam eorum nonnullos, qui aliis in fabulis acerrime restitutionem ephymniorum defendunt, hoc loco ea reformidasse, ut nunc Weilium (cf. editionis minoris, 1885, praef. p. X). An re vera est, cur tantopere in traditis offendamus? Immo certam in carminis structura aequalitatem inesse nemo infitiabitur. Includunt enim partes simillime structae partem ephymnio ornatam. Tali autem modo quod media pars insignem locum teneat, id cum sensu bene convenire recte Arnoldt explanat (Der Chor im Ag. des Aesch., Hal. 1881, p. 78/79), cum eo loco chorus, qui et antea et postea magis tranquillum animum servat, ad summos animi motus progressus ipsas emittat lamentationes accusationesque. De hac re qui in universum inter se consentiunt, tamen de minoribus quae ad formam pertinent in diversas partes discedunt. Quaestio enim est, quid de responsione systematis I partisque β et systematis V partisque ζ sit iudicandum. Tres de ea re sententiae sunt prolatae. H. Schmidt et Arnoldt (l. l. p. 76) traditam earum partium formam laudantes nullam inter eas responsionem intercedere volunt; Westphal (Prol. ad. Aesch. p. 18; Metrik III^3,2 p. 149/50) melicas quidem partes, β et ζ, inter se respondere (anapaesticas, systema I et systema V, numero tantum hypermetrorum) dicit; Hermann denique, cui multi sunt assensi, non modo partem β parti ζ, sed etiam systema I systemati V respondentia facit. Inter ea quid rectum sit diiudicare difficile est. Sed Hermanniana illa systematum I et V inter se responsio probabilitate minime caret. Id quidem, num in universum systematis anapaesticis inter lyricas partes insertis certa metrica responsio vindicari debeat — id est aequalitas numeri metrorum — parum constat (cf. Christ, Metrik^2 § 307), quin etiam a multis (ut a Westphalio et Rossbachio, Metrik III^3, 2 p. 150)

prorsus negatur; et coactus est Hermann ad efficiendam illam responsionem in systemate I, quod multo brevius est quam systema V, lacunam decem metrorum statuere. Sed id haud ita temerarium est, cum corruptissima videantur verba *νῦν δὲ τελείαν κτλ.* Accedit, quod hypermetrum *ἰὼ ἰὼ παράνους Ἑλένα — ὑπὸ Τροίᾳ* re vera hypermetro primo systematis V *ἰὼ γᾶ γᾶ-χαμεύνην* plane respondet, et verba *νῦν δὲ τελείαν* v. 1459 anapaesticum rhythmum praebentia initium secundi olim hypermetri eius systematis esse potuerunt (sic iam Hermann). Consentaneum est eisdem argumentis Westphalii de hac re sententiam defendi, qui eodem huius lacunae remedio systema I si non ad eundem metrorum, at tamen hypermetrorum numerum ac systema V redigit. Iam si quis melicarum partium *β* et *ζ* responsionem poscit, vereor ut refutari possit. Dixerunt longius esse intervallum quam ut partem *ζ* parti *β*, systema V systemati I respondere quemquam animadvertisse verisimile sit. Sed habemus Aeschylea Sophocleaque exempla, quibus comprobetur stropham et antistropham maiore intervallo dividi potuisse. In Septem fabula inde a versu 404 inter primam stropham et antistropham triginta inter secundam stropham et antistropham triginta, septem, inter tertiam stropham antistrophamque duodesexaginta versus intersunt. In Philocteta stropham v. 391 sqq. antistropha sequitur versibus intermissis centum quinque. At versus his locis stropham et antistropham dirimentes trimetri sunt, quorum ne maior quidem numerus arcebat ne responsio cognosceretur; sed hic cum post partem *β* non minus quam sex strophae canantur, septem systemata recitentur, si non ipsa quoque canantur, num quisquam responsionem intercedere inter eam et partem *ζ* intellegere poterat? num si id non fiebat, operam et oleum perdidisse poetam credemus? At talia tamen facta esse Euripidis tria exempla docent: In Oreste strophae 1345—58 antistropha 1545-58, in Hippolyto strophae 363—74 antistropha 664—75, in Rheso strophae 443—55 antistropha 813—25 respondent (secundum

editionem Kirchhoffii), ita ut intervallorum permagnae partes melicae sint. — Argumentum igitur, quod ex illa re contra responsionem partium β et ζ atque systematum I et V petitur, sufficere non videtur. Nec maioris momenti est, si quis dicit si systema I et V inter se respondisse statuamus, periculum fuisse ne spectatores audientes systema III iam adesse systema respondens systemati I (antisystema I) opinarentur. Nam si non cantata sunt haec systemata (de qua re certatur), at certe accesserunt instrumentorum soni, neque debet putari poeta partibus inter se non respondentibus eosdem modos indidisse. Ac ne partium β et ζ quidem responsionem satis eo dissuaderi puto, quod metra eorum, quae tradita sunt, parum inter se congruunt. Nam pars β tam corrupta est, ut nihil obsit quominus eam ad metricam normam partis ζ, quae magis intacta est[1]), emendandam esse existimemus, praesertim cum primus partis β versus separatis ab eo verbis *νῦν δὲ τελείαν* (de quo supra) vestigia dactylici rhythmi servet, in fine cum fine versus 1547 plane congruat (*δι' αἷμ' ἄνιπτον* = *ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ*), neque minus versus 1462 cum v. 1549 exceptis initiis (*[ἐ]ρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς* = *[ἀλη]θείᾳ φρενῶν πονήσει*)[2]). Itaque quamvis difficile sit iudicium, malim has quoque partes inter se respondere. Neque tamen necesse esse puto eum, qui id negat, Schmidtio Arnoldtioque assentiri, qui systema I et partem β coniungunt, ut unum efficiant systema quod vocant, itemque systema V et partem ζ (atque systema III et stropham δ), commoti artissimo inter ea sententiarum conexu.

1) Fortasse sola Vossii mutatione *ἐπιτύμβιον αἶνον* (ex *ἐπιτύμβιος αἶνος*), aut Weilii, qui nihil nisi *αἶνος* in *αἶνον* mutat, opus est. Non necesse est, si quis eos sequitur, de iusta sollemnique oratione funebri cogitare, id quod his coniecturis vitio est versum.

2) Plane congruunt v. 1462 et 1549, si sequimur Blassii speciosam coniecturam, qui mutans unam litteram scribit *τρίδματος* (= vehementer domans, sehr bändigend); quod quidem vocabulum alibi non invenitur, sed Aeschyleum eius colorem cognoscet, qui conferet Ch. 313 *τριγέρων* (= pervetustus), Sept. 976 *τρίπαλτα πήματα* (= ter vibratus, de malis vehementissimis) etc.

Sed proficiscendum est a metris, quae clarius quam factum est binas partes significare non potuerunt; ac videtur tali compositione poeta usus esse, ut semper systema melicam partem, melica pars systema exciperet. Quare hoc ipsum hic addo nostrum ephymnium a ceteris, quae adhuc apud Aeschylum invenimus, eo differre quod aperte ex duabus partibus constat, alteraque eius pars anapaestica, non mere melica est.

Restat ut agamus de altero tertioque Choephororum stasimis, quae inter corruptissima Aeschyli carmina sunt. Quorum illud (v. 779 sqq.) hanc formam praebet:

Str. α
β
Ant. α

Str. γ
δ
Ant. γ

Str. ε
ζ
Ant. ε.

Atque hoc loco defensores ephymnii eo procedunt, ut nullo omnino eius rei vestigio tradito tamen partes β, δ, ζ post antistrophas α, γ, ε repetant. De quo quid censendum sit videamus.

Invocantur hoc carmine dei, ut Orestem in caede matris et Aegisthi perficienda adiuvent, ipseque Orestes absens monetur, ut fortiter consilium exsequatur. Haec autem Orestis adhortatio incipit a parte ζ (v. 823)

σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ
μέρος ἔργων, ἐπαΰσας
πατρὸς ἔργῳ, θροούσᾳ
πρὸς σὲ τέκνον πατρὸς αὐδάν,
καὶ περαίνων ἐπίμομφον ἄταν.

Ex mala horum versuum condicione tamen plerique interpretes hunc fere sensum cognoverunt: Tu vero constanti animo, quando venerit officium tuum, matri te magna voce

„o fili" alloquenti reclamans patris vocem perpetra caedem. Quae verba antecedentibus per σὺ δέ annectuntur, quia Orestes opponitur personis, de quibus stropha ε agitur: ipsis scilicet ancillis, quae si res bene cesserint, se cantus esse cantaturas promittunt, et amicis (i. e. liberis Agamemnonis), qui peste liberatum iri dicuntur, et fortasse — si rectum est πόλει v. 820 — toti civitati. At iterata post antistropham ε verba ad praecedentia inepte accedent; nam postquam tota antistropha nonnisi de Oreste sermo fuit, qui cur caedem conficiat necesse sit exponitur, quid sibi velit continuata per σὺ δέ oratio non apparebit, cum non sit cui id opponatur. Neque enim poterit opponi τὸν αἴτιον; nam usque ad finem Orestes, ut subiectum, resumptum etiam participio ἐξαπολλύς, praevalet. Praeterea ipse Wecklein (l. l. p. 222) observat non bene post narrationem eorum, quae e facto sint consecutura, ad ipsum momentum facti rediri. — In secundo stropharum pari si pars δ

τὸ δὲ καλῶς κτίμενον[1]) ὦ μέγα ναίων
στόμιον, εὖ δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρός,
[2])καί νιν ἐλευθερίως
λαμπρῶς ἰδεῖν φιλίοις
ὄμμασι δνοφερᾶς καλύπτρας

post antistropham γ repetitur, miri aliquid habet, quod Apollo[3]) bis invocatur idque ita, ut duae eius invocationes

---

1) κτίμενον pro κτάμενον Bamberger.

2) Coniunctis Hermanni Dindorfiique coniecturis propono

καί νιν ἐλευθερίας φῶς
λαμπρὸν ἰδεῖν φιλίοις
ὄμμασιν ἐκ δνοφερᾶς καλύπτρας.

3) Apollinem, non Plutonem (quem vult scholiastes) intellegendum esse vocabulum στόμιον docet, quod cum sit „ostium, aditus", non ipsum orcum, sed, si ad orcum est referendum, eius aditum tantum (ut Plat. Pol. 10, p. 615 DE) significare potest. Hic autem fauces terrae sunt, super quibus Delphicum oraculum erat exstructum.

Wilamowitz in editione Choephororum, quae nuper prodiit, de emendandis his versibus desperans (cf. p. 226, 27) tamen eis Apollinem intellegi non debere conatur demonstrare (p. 230, ad v. 806—11). Id si rectum esset, illa offensio, ut est consentaneum, esset sublata (quae

invocatione Mercurii diremptae sint. Non idem repetitioni partis *β*

ἒ ἔ.

πρὸ δὲ δὴ ʼχθρῶν τὸν ἔσωθεν μελάθρων, Ζεῦ,
θές, ἐπεί νιν μέγαν ἄρας,
δίδυμα καί τριπλᾶ παλίμ-
ποινα θέλων ἀμείψει

(post antistropham primam) vitio potest verti, cum hic totum stropharum par invocationi Jovis deditum sit. Dixerit quis iure poetam Apollinem bis invocari fecisse: quia ab Apolline Orestes caedem perficere iussus sit, tantam prae ceteris deis laudem ei de industria tribui. Sed huic rei ullam vim inesse nego, cum eo Apollinis invocatio prae ceteris non minus distincta esse videatur, quod excellentem in toto carmine locum tenet, medium, antistrophica responsione omnino carentem.

Sed conatur Wilamowitz argumentum afferre, quo comprobetur ephymnia in hoc carmine deesse non posse. Dicit enim adverbia temporalia *τότε ἤδη* initii tertiae strophae (*ε*) in antistropha secunda (*γ*) non habere quo referantur neque intellegi nisi repetita parte *δ*, in qua eiusmodi tempus ex-

---

tamen recurrit, simulatque de alio aliquo deo cogitatur. Sed quae explanat, mihi persuadere non potuerunt. Nam quod dicit, quanquam Apollo is sit, qui Orestem ad caedem compulerit, ab ipsius caedis *μύσους* tamen eum arceri, dolendum est quod eam rem pronuntiavit, non confirmavit. Non video, cur Juppiter et Mercurius *μύσει* caedis inquinari potuerint, Apollo non potuerit, praesertim cum apud Sophoclem quoque Apollo, ut auxilio iuvet Orestem propositum perficientem, invocetur (ab Electra, v. 1376 sqq.). Atque errare mihi videtur Wilamowitz, si dicit *στόμιον* ceteris Aeschyleis locis esse frenum, non ostium. Nam in fragmento 185 (Wecklein; Hermann 195) illud quidem esse non potest. Neque quae praeterea affert satis valent contra hoc, quo mea quidem sententia discrimen huius quaestionis continetur: non potuisse puto a choro, si modo a deis auxilium implorabat, non invocari eum deum, cuius in iusso exsequendo tota haec fabula versetur. Nam audierunt choreutae Orestem et ipsis et sorori exponentem (v. 268—295) se quod in animo haberet facere Apollinis Delphici oraculo esse iussum.

pressum sit. Sed primum in antistropha γ futura forma φανεῖ est (quam Wilamowitz in aoristum mutat), quae quanquam permultis vitiis locus laborat, tempus, quod spectat chorus tertia stropha (ε), significare potuit. Deinde cum adhuc toto carmine dei sint invocati, ut Orestem in eis, quae in animo haberet, adiuvarent, nemo non potest, si pergitur „et tunc carmina cantabimus“ de eo tempore cogitare quo Orestes propositum auxiliantibus deis exsecutus erit. In verbis igitur τότε ἤδη, non haerebit nisi qui cum Wilamowitzio existimat ancillas hac stropha narrare, quomodo ipsae Orestem caedem patrantem iuvaturae sint, et clamitantes (ut pellant terriculamenta) et incantantes (ut magica vi melius res procedat). Quae interpretatio si recta esset, sane desideraretur, quo referendum esset τότε ἤδη, ut ipsum momentum caedis significari cognosceretur. Sed mihi arcessita videtur neque verisimilis, cum non efficiatur postea tale chori auxilium, potius v. 871—73 chorus se ipsius facti participem fieri nolle declaret; et eo, quod in parte ζ ad adhortationem Orestis additum est ὅταν ἥκῃ μέρος ἔργων, monemur ne statuamus in utraque de eodem temporis momento esse sermonem. Praeterea displicet, quod qua ratione corruptum sit θρόον δειμάτων in πλοῦτον δωμάτων non cernitur; tum quod feminae non dicunt, quaenam δείματα ne terreant Orestem timeant; denique quod voci γόης aliis locis semper vitii aliquid inest, ut sit praestigiator, non qui seriam artem magicam profiteatur.

Sententia igitur ephymnia in hoc carmine reponere vetamur; nam ne hic quidem Aristophanis illo ἰὴ κόπον defendi posse puto. Sed integram esse in universum traditam formam ex eo quoque discimus, quod metrorum similitudine partium β et ζ propria responsio indicatur; quod ipsum propterea certum duco, quia metrum mediae partis δ plane est diversum — nam si tribus partibus omnibus idem fere rhythmus inesset, minus ex ea re concludi liceret —. Utraque enim initium capit a quinque ionicis a minore (neglectis interiectionibus ἒ ἔ ante partem β, quae facile ante partem

ζ quoque inseri possunt): *πρὸ δὲ δὴ ʼχθρῶν τὸν ἔσωθεν μελάθρων, Ζεῦ*[1]), *θές, ἐπεί νιν μέγαν ἄρας* = *σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ μέρος ἔργων, ἐπαΰσας πατρὸς ἔργῳ.* Et exit in iambo-choriambicam pentapodiam ◡ – – ◡◡ – ◡ – –; *παλίμποινα θέλων ἀμείψει* = *περαίνων ἐπίμομφον ἄταν.* Sane pars ζ aliquanto productior est quam pars β, sed eam interpolatam esse vel repetitae voces *ἔργον* et *πατήρ* demonstrant. Mihi quidem valde placet quod Wecklein, coniecturis usus Engeri, Aurati, Schuetzii scribit

σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ
μέρος ἔργων,
ἐπαΰσας πατρὸς αὐδὰν
θρεομένᾳ τέκνον
πέραιν' ἀνεπίμομφον ἄταν.

Qua in speciosa emendatione id mihi praecipue dignum videtur quod observetur, quod Wecklein, cum ephymnia restituenda esse defendens id, ut responderent inter se primum et tertium ephymnium, minime sine dubio spectaverit, tamen ad eam responsionem quasi invitus, re ipsa, est ductus.

Quibus de causis non dubito quin recta sit haec carminis structura

Str. α
Mes. β
Ant. α

1) Seidleri levis mutatio *τὸν ἔσωθεν μελάθρων, Ζεῦ* ex *τῶν ἔσω μελάθρων, ὦ Ζεῦ* mihi necessaria videtur, cum sic facillime et sensus sanus fiat (*τὸν* ex *τῶν* facto) et metrum, siquidem in traditis verbis, etiamsi restituitur *τόν*, certum metrum non cogniscitur; quod autem Wilamowitz *αἰαῖ* pro *ἒ ἔ* scribens proponit

– – ◡◡ – – ◡◡ – ◡ – –
– – ◡◡ – – ◡◡ – –

non verisimile puto, cum quia interiectio *αἰαῖ* luctus vel fletus exprimens parum hic apta est, tum quia ionicorum a maiore usus neque apud Aeschylum neque apud ceteros optimae aetatis poetas videtur exstare (qua de re vide Rossbach-Westphal, Metrik III³, 2, p. 360).

Str. γ
δ
Ant. γ

Str. ε
Antimes. β
Ant. ε.

In tertio denique eiusdem fabulae stasimo (934 sqq.) homines docti cum quadam specie veritatis ephymnia constituunt. Nam quanquam carmen mesodica forma hoc modo compositum traditum est

Str. α
β
Ant. α

Str. γ
δ
Ant. γ,

verba tamen ultima strophae γ, *πάρα τε φῶς ἰδεῖν*, in fine antistrophae recurrentia (mutato *τε* in *τό*) multis vestigium esse iteratae olim totius partis δ videntur. Accedit quod partes β et δ propter sensum valde idoneae sunt quae ephymniorum locum teneant. Nam cum in strophis et antistrophis α et γ de ipsa ratione caedis (venisse tandem domum Orestem, venisse iustam poenam, evenisse quae vaticinatus esset Apollo; α et str. γ) atque de eis quae eam secutura sint (brevi domum omni macula fore liberam, ant. γ) chorus loquatur, partibus β

ἐπολολύξατ᾽ ὦ δεσποσύνων δόμων
ἀναφυγᾷ [1]) *κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς*
ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν,
δυσοίμον τύχας

et δ

μέγα τ᾽ ἀφῃρέθη
ψάλιον οἰκίων. [2])
ἄναγε μάν, δόμοι· πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετεῖς ἔκεισθ᾽ ἀεί,

---

1) *ἀναφυγᾷ* pro *ἀναφυγάς* Heimsoeth.
2) *οἰκίων* pro *οἴκων* Ahrens.

praesertim si verba *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν* huius in initio accedunt, ipsum gaudium chori ipsaque laetitia, summa atque fastigium totius carminis, exprimuntur. Neque aliter ad antistropham *α* pars *β* quasi ephymnium sese applicet quam ad stropham, et coniungendae cum antistropha *γ* parti *δ* quasi ephymnio difficultates obstant nullae, quoniam ad eadem tradita verba *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν* additur atque post stropham.

Sed tamen contra haec nonnulla dicere liceat. Potest quidem illis verbis *πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν* significari repetendam esse totam partem *δ*, sed necesse non est. Nonne fieri potuit ut poeta brevium intercalarium versuum genere illo hic uteretur, quod a mera exclamatione haud ita procul abest, ut in Eumenidum exodo, in Agamemnonis parado, in Persarum stasimo secundo (de quibus locis supra disputavi, p. 9, p. 13, p. 20 sqq.)? Quod ita stropha et antistropha *γ* tantum, non omnes carminis partes ephymniis ornatae sunt, neminem offendet, cum etiam illo Persarum loco primum stropharum par et epodus versibus intercalaribus careant. Atque hoc quoque dignum puto quod observetur: multo aptiorem esse ad declarandum gaudium laetitiamque nostri cantici traditum eius finem quam qui statuitur repetita parte *δ* (*πολὺν ἄγαν χρόνον χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεί*). Nam etsi deesse non potest in tali carmine, quo exsultant laetitia homines diuturno malo liberati, ipsius mali commemoratio, tamen in fine minus est apta, sed multo melius revertitur poeta ad bonam praesentis temporis fortunam.

Sensu igitur ut in traditis perseveremus monemur; accedit quod inter partes *β* et *δ* responsio, quam si respuatur earum repetitio necessario postulari puto, facile efficitur. Sane pars *β* longior est quam pars *δ* spatio verborum *δυσοίμου τύχας*, sed in ceteris magna aequalitas metrorum cernitur; quattuor utrimque pedes dochmii huius formae

⏒ ⏑ ⏑ — ⏑ —

initium faciunt[1]; quae autem sunt reliqua χαμαιπετεῖς ἔχεισθ' ἀεί et ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν ad eandem metricam normam, iambicum dimetrum, ducuntur facillima Hermanni mutatione, qui pro ὑπὸ scribit ὑπαί, quae praepositionis forma a tragicis saepius, in choricis praecipue, usurpatur. Lacuna igitur est in fine partis δ, ut iam Ahrens statuit, supplenda unius dochmii pedis metro. Quod si quis dicat propter integrum sensum parum esse verisimile, respiciat etiam verba δυσοίμου τύχας, quae ad partem β accedunt, adeo non esse necessaria, ut nemo si abessent ea desideraret.

Propter ea quae attuli hic quoque tradita servans mesodicam compositionem statuendam esse puto, quanquam concedo eos, qui malunt partes β et δ ut ephymnia post antistrophas repetere, hic tam facile quam ceteris quibus inesse ea forma mihi videbatur locis refutari non posse. Structura carminis igitur mea quidem sententia est haec

Str. α
Mes. β
Ant. α

Str. γ + Eph.
Antimes. β
Ant. γ + Eph.

Iam hac commentatione ad finem perducta addo me, quanquam tria carmina quomodo cantata esse mihi videantur supra exposui (p. 10 sqq.; 12 sqq.; 19 sqq.), de ratione canendi cetera silere. Nam cum vel illic ultra quandam verisimilitudinem progredi non potuerimus, hic ne verisimile quidem quidquam de ea re dici posse mihi quidem persuasi[2].

---

1) Dochmios pedes saepius Aeschylus ita inter se respondentes fecit, ut primo loco hic syllabam longam, illic brevem poneret, ut Sept. 108 ∽ 122, 551 ∽ 614 (bis), 553 ∽ 616, 673 ∽ 679, Suppl. 398 ∽ 408, 399 ∽ 409, 745 ∽ 752, 758 ∽ 765, Prom. 599 ∽ 621, Ag. 1163 ∽ 1174. Ceterum non perfectam esse in hoc carmine metrorum responsionem docent — ut incerta omittam — v. 952 verba ὁ Παρνάσσιος comparata cum verbis v. 963 χρόνος ἀμείψεται.

2) Quam dubia sit ea res, exemplum docet Weckleinii. Is satis

Tamen propriam ephymnii naturam, ut sit cantus qui ad aliorum vel alius cantum accedat, quam diu fieri potest servari velim.

magna fiducia pronuntiaverat (Fleck. Jahrb. l. l.) ea carmina quae ephymniorum usum praeberent ita esse cantata, ut tres στοῖχοι chori tria paria deinceps (primus primum, et stropham et antistropham, secundus secundum, tertius tertium) canerent, universus chorus ephymnia. Quod homo doctus, qui alioqui de ephymniis prorsus cum Weckleinio consentit, Muff (Fleck. Jahrb. 1883, p. 25), vehementer vituperavit. Quanto minus nos, cum partim ephymniis a nobis repudiatis nitatur, id probabimus!

Vita.

Natus sum Carolus Eduardus **Paulus Schwarz** die XVIII. mensis Decembris anni 1872 Soltquellis, in oppido Palaeomarchiae, patre Paulo, gymnasii Soltquellensis tunc praeceptore ordinario, nunc Quedlinburgensis professore regio, matre Hedviga e gente Hentschel, quos superstites esse valde gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus sum in gymnasio patriae, quod floret directore G. Legerlotzio. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1891 Halas me contuli, ut in studio linguae et scriptorum Graecorum, Latinorum, Germanicorum operam collocarem; inde ter sex mensibus peractis Berolinum transmigravi; denique autumno anni 1893, ut studia finirem, Halas reverti. Docuerunt me homines docti Berolini Bellermann, Curtius, Diels, Dilthey, Harsley, Kekulé von Stradonitz, Kirchhoff, Kretschmer, Kübler, Rödiger, Vahlen, Weinhold; Halis v. Arnim, Beyschlag, Blass, Burdach, Dittenberger, Erdmann, Ewald, Ficker, Haym, Husserl, Ihm, Keil, Sievers, Strauch, Suchier, Thistlethwaite, Uphues. Quibus omnibus gratiam habeo quam maximam, inprimis viro doctissimo atque humanissimo Fr. Blassio, qui cum semper studiis meis favit tum in conscribendo hoc commentariolo me consilio suo adiuvit.

Ineunte mense Februario huius anni (1897) examen pro facultate docendi feliciter absolvi.